



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Consultationes Theologicæ Et Spirituales Christiani verè fidelis & verè devoti ...**

... De Excellentissimis Jesu Christi Dei-Hominis


**Louis François <d'Argentan>**

**Augustæ Vindel. ; Dilingæ, 1723**

**VD18 80217931**

Consultatio IX. Jesus Christus imperans Regibus ab incunabulis Nativitatis  
suæ, demonstrat se esse Deum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45509**



## CONSULTATIO IX.

*JESUS CHRISTUS imperans Regibus ab incubulis Nativitatis suae, demonstrans se esse DEUM.*

Duo genera divitum.

**D**uplicis generis divites numerat mundus, inter quos valdè magna extat differentia. Nonnulli possident divitias corporales, quæ cum attollant ipsos paulisper supra vulgus attrahunt post ipsos magnam famelicorum & avidorum copiam, qui ipsos consumant, consumatosque despiciant. Alii divitiis affluunt spiritualibus, quæ cum illos discernant à plebe velut homines eximios, frequentem illis conciliant affluxum virorum laudatissimorum, qui ipsorum oblectentur conversatione ipsosque admirentur.

Divitiæ materiales difficilius acquiruntur & cum labore possidentur.

Plurimò stat primis, ut suò modò evadant divites; maximas oportet ipsos portare curas, quarum sibi retinent nonnisi incommoda, ut totum illarum commodum relinquunt aliis. Si quidem domus ipsorum haud absimiles sunt hospitibus publicis, ubi benè excipiuntur omnes, quibus parata & in promptu esse debent omnia, citrà id, quòd curæ sibi sumant, unde hæc veniant? Et pro eo, ut hospites solvantur probà monctà, solvant hi ipsos

nonnisi reverentiis & protestationibus, se esse ipsi ad servitia: sed ita loqui non est nisi ludere cum ipsis, cum hi reverà aliorum sint servi.

Qui in suo circumferunt capite thesauros divitiarum spiritualium, nihil ex iis tolerant incommodi, nisi quòd unica ipsis non sufficiat præsentia, ad satisfaciendum iis omnibus, qui voluerint ipsas habere, cum omnes ipsarum teneantur desiderio: sunt ipsi innocentes omnium societatum delicia; esse cum ipsis, est assidere convivio perpetuo, cum nunquam non habeant, unde exquisitissimas ingenii terribilissimas dapes apponant, absque eo, quòd depauperentur, vel exhauriantur; & sicut ipsi omnes suæ capiunt dulcedine conversationes, ita omnes adnituntur capere ipsos mille blanditiis, ut diu retinere ipsos, ipsorumque frui valeant familiaritate.

Fruebantur ab aliquot diebus in domo, quam intraveramus, eximiâ hæc prærogativâ in persona cujusdam amici sui, quem appellabant Carpophorum. Erat hic

Non ita divitiæ spirituales.

hic vir magnæ eruditionis, genii suavissimi, & conversationis adeò jucundæ, ut non formatus esse videretur, nisi ad demulcendum omnes oblectatione, perfundendum cunctos voluptate: non discernebatur, in quibus magis esset versatus, discurrebat de omnibus, quæcunque dicebantur, sed nunquam nisi præclare, nisi luculenter. Incidebat die quodam mentio historiarum, in qua quòd esset versatissimus, jucundissimum nobis, quæ haberi possit, exhibuit notam.

Pulchra historia de Principereportante victoriam adhuc in cunis.

Lipius 1, 2, c. 9.

Recensuit prodigium, quod contigit anno millesimo, quacipereportante Tertio, Duce Brabantiarum, qui cum adhuc infans stringeretur cunis, nec primum adhuc ætatis suæ superasset annum, potentem ac validum coëgit exercitum, cui ipsemet in persona præfuit, cum hoste confligit, & nominatissimam de inimicis ditionum suarum reportavit victoriam. Verum est, non concessisse ipsum in pugnam in ætate hac tenera, nisi deportatum aulicorum suorum brachiis; non ordinasse ipsum sui directionem exercitus, nisi per suos hipparchos & copiarum prætores; non iussa dedisse ipsum nisi per ora suorum Centurionum; non oppugnasse inimicum, nisi per brachia suorum militum: nihilominus persuasum fuit omnibus, non nisi ipsum

met reportasse victoriam, meruisse triumphum, non quòd fuerit in statu, quo ageret ipse, vel sciret tantummodo, præsentiam suam vires & animum addere universo exercitui: sed sufficiebat, portasse ipsum in venis illustrium majorum suorum sanguinem, qui vincere assuetus in viris ætatis perfectæ, impediri non poterat, quin palmas colligeret in infantis infirmitate.

Tota societas admirabatur factum hoc insolens, velut unicum hujus generis, affirmans recensendum id esse inter prodigia, velut Phœnicem inter volucres, & impossibile esse inveniri aliud ejusmodi per omnem sæculorum decursum. Non nisi bonus noster Ecclesiasticus erat, qui cum nullam abire sineret occasionem evulgandi divini Magistri sui excellentias, quibus cor & animum habebat refertum, ansam exinde arripuit extollendi gloriam infantis Jesu, cum ipse adhuc in cunis suis infantilibus longè superaverit gloriam hujus infantis Principis.

Ergò non legistis, inquit illis, quod asserit nobis Propheta Isaias, describens prodigia infantis Jesu: *Antequam sciat Puer vocare patrem & matrem suam, auferetur sortitudo Damasci & spolia Samaria: Et nonne observasti, quomodo Evangelium detractat nobis executionem hujus Prophetiæ, quando* *Victoria Jesu Christi in cunis suis majores fuere. Isa. 8.*

L 1

nobis

nobis exhibet infantem JESUM in cunis suis, tenentem jam prostratos ad plantas suas Reges, ad recipiendum ab eis adorationes & tributa, velut servitutis suae testimonia; tremore concutientem alios, qui abnuebant sua ipsi reddere homagia; & coronas dispertientem ingenti regulorum numero, pugnantium pro se usque ad effusionem sanguinis, & suam consecrantium vitam pro honore suo. De hoc nascente Monarcha jure dicere poteritis, ipsum prodigium esse inauditum, cui nil simile conspectum fuerit unquam in omni saeculorum serie.

Cur infans

JESUS potens  
fuerit in cunis  
suis?

Si interrogas, quomodo exantlare potuerit tam praecelara facta, in aetate adhuc tam tenera; non est ex eo, quod praepotentem habuerit exercitum, pugnantem pro se, lucro & com-

modo suo: sed quod portaverit in venis suis sanguinem Davidis, Salomonis, & aliorum Regum in Israel majorum suorum. Hoc reddebat ipsum potentem; sed omnipotens non fuisset ad distribuendum ita coronas, si in persona sua non portasset ipsemet divinitatem. Haec prima verba extimularunt curiositatem Societatis, credentis quidpiam magni dicendum occurrere circa potentiam, quam infans JESUS jam in suis demonstravit incubulis; cum primis praeter omnibus Carpophorum, quem nec dicere, nec audire delectabat nisi quid dignum sui acumine ingenii; qua super re prolixam instituerunt Consultationem, e qua omnes plurimum hausimus delectationis. Ecce tibi, quomodo fuerit peracta.

## ARGUMENTUM.

*Infans JESUS adoratus à Regibus terrae in suo stabulo, declarat nobis, esse se Regem caeli.*

### ARTICULUS I.

COelum fuit, incipiebat Carpophorus (nam quia referunt insigni scientiam habebat animum, voluit semper ostendere inter primos, posse se loqui de omni eo, quod dicebatur) fuit caelum, dixit, quod antevertit terram, praerogativam frui volens exhibendi supremos honores in-

fanti JESU, ante ceteras omnes creaturas. Dicendum omnino est, ipsum suis invigilasse oculis ad observandum tempus & horam, quam ingressurus esset mundum, quia cum tota terra adhuc esset illius ignara, jam caelum habuerat ejusdem notitiam.

Quan-

Coelum dedit  
signum, na-  
tum infantem  
JESUM esse re-  
gem suum.

Quando video, ipsum misisse in ipso instanti, quo natus est, legationem valde magnificam, ad praestandum ipsi homagium, plures militiae coelestis regiones, & omnes has legiones compositas ex Principibus curiae Regis regum: Quis est ergo, interrogo, cui totum coelum Empyreum tantos concernit & confert honores? probè video, hunc alium esse non posse, nisi supremum caelorum Monarcham.

Quando conspicio supremæ hujus regionis incolas turmatim venire ad praesepe in ipso, quo natus est, instanti, descendentes quasi in unico momento de caelo in terram, per incredibilem illam sibi congenitam agilitatem, replentes applausibus & cantibus latitiae aërem, sicut populi terræ facere consueverunt in triumphis & magnificis invectionibus Regum ac Principum suorum; deduco exin: Oportet igitur necessariò ipsum esse Regem Angelorum.

Et quando resonant ipsi insigni illud melos & Carmen Musicæ suæ Angelicæ, quo annuntiant gloriam exhibitam Deo in Altissimis, & in terris pacem hominibus bonæ voluntatis, agnoscences & colligentes ex hoc, quòd coelum novam recipiat gloriam, cujus fons est in terris, in persona infantis JESU, quòdque ex debita & grata recogni-

tione magnæ hujus gloriæ, quam terra mittit in caelum, ipsum remittat illi pacem & benedictionem Dei, interrogo: quanta est igitur potentia illius, qui tanta operatur in caelo & in terra? Et quam haberet is potestatem reconciliandi simul, & promulgandi inter illa pacem, nisi verè esset Salvator mundi?

O DEUS! quanta debuit fuisse dulcedo Musicæ hujus Angelicæ! Siquidem si unica vox Angelus plus habet illecebrarum ad rapiendos & inescandos animos, quàm omnis Symphonia hominum; quid erat haurire auribus concentum integrum tantarum legionum Musicorum coelestium? Persona quædam sive digna mihi asseruit, fuisse se præsentem exorcismo alicujus obsessi, ubi juvenis quidam, qui suavissimâ & exquisitissimâ credebatur pollere voce, sese insinuerat ad cantandum; sed dæmonem excepisse ipsum nisu & contemptu maximo: Bonum est, inquit, pro vobis parvis terræ va-

Suavitas Musicæ Angelicæ auditæ ad praesepe infantis JESU.

Dæmon quàm suaviter noverit cantare.

comparatione esse murmur. Si unusquisque dæmon, cujus vox magis est idonea ad protrudendos horribiles ejulatus & ululatus alicujus desperati, quàm affundendum auribus dulcedinem suavis & acceptæ melodix, tantas potuit excitare illecebras, tantâ potuit perfundere voluptate, quid credendum erit de modulis innumeræ multitudinis Angelorum cælestium? Nonne hi raperere debuerant omnes creaturas? & an mirum sit, quod totus mundus attentissimâ cogitatione defixus perstiterit in reverentia & silentio: *Dum medium silentium contineret omnia.* Quis est, cujus demissa hæc cæli veneratio infanti Jesu exhibita non inserat æstimationem maximam majestatis ipsius?

Sapient. 18.  
v. 14.

Musica Angelica non fuit audita, nisi à pastoribus vigilantibus.

Verum est, reponit Ecclesiasticus, sed paucorum erat, hæc oblectari symphoniâ; non nisi tenuis pastorum numerus gaudebat hæc sorte, qui vicini tunc fuerant, & vigilabant gaudio, audientes in aëre suavissimam hanc harmoniam, cui vox alicujus accesserat Angeli adhortantis ipsos, ut irent & inquirerent recens natum infantem. Sed dici potuisset, hos simplices fuisse viros, nullâ pollentes auctoritate, faciles & leves ad credendum, adeoque haud difficulter apprehendere potuisse puras imaginationes ceu veritates, insuper tam vicinos

fuisse loco, ad quem fuerant invitati, ut parvo labore quanto cyûs illuc exploratum veritatem potuerint concedere; & denique ipsorum iter parvum excitasse rumorem, nec aliud ipsis promissum fuisse, nisi inventuri essent infantem pannis involutum & reclinatum in præsepio. An ergo videtur hæc omnia idonea fuisse, ad demonstrandas evidenter ipsius excellentias?

Sed quando nobis loquitur historia Evangelica de Regibus Magis, qui adorârunt ipsum & venerunt de longinquo, è plagis, orientalibus remotissimis, & quasi extremitatibus mundi, juxta opinionem sancti Chrysostomi, sancti Ambrosii, & sancti Leonis Papæ, vel saltem ex fortunata Arabia, sicut crediderunt Patres antiquiores, sanctus Justinus, Tertullianus, & sanctus Cyprianus.

Et videtur ipsam conditionem munerum, quæ attulerunt, haud obscurum hujus afferre iudicium; cum obtulerint illi aurum & thus, quibus istæ regiones plurimum abundant. Cum verum sit, tres hosce coronatos vertices suas deseruisse regiones, difficili, diuturno & periculoso se commisisse itineri, & quidem in terram incognitam, & inter populos alterius idiomatis, ad adorandum infantem, natum in stabulo, reclinatum in præsepio, & vilissimè jacentem in scæno: quàm lucu-

Unde veniunt Reges Magi adorantes infantem Jesum.

luculenter evincit divinitatem hujus infantis, qui ita ad pedes suos trahit Reges ab extremis terræ.

Quid probet Reges Magos fuisse Sapientes,

Siquidem dici non potest, ipsos viros fuisse facilis & levis fidei, sicut esse poterant pastores; erant Magi, id est, Sapientes, viri docti, & Principes insigni pollentes judicio: vivebant in regione, quæ amplectebatur & in praxin reducebat politicum illud dogma Aristotelis, qui velut certum tenet, quod non nisi virtuti congruat torquere sceptrum, jura dare populis, quodque ad gubernaculi subfella attollendi non sint, nisi ii, qui attolluntur supra cæteros in eo, quod gloriam constituit hominis, nempe in ratione, in moribus, in sapientia. Et ideo nemo inter illos evasit in Regem, nisi qui excelleret prudentiâ & judicio. Et hanc ob rationem omnes ipsorum Reges nuncupabantur Magi.

Reges Magi cognoverunt infantem Jesum Deum.

Quomodo possibile est, tres Principes ejusmodi insignitos caractere, se tam inusitato implicuisse negotio de consilio, nisi probè scivissent, causam, quæ stimulos ipsis addebat, id mereri optimè? Sed quis alius, nisi infans Deus, mereri potuit, ut è plantis tam longinquis venirent Reges, & ipsimet in persona profundis adorationibus venerarentur illum? Si Majestas Cæsaris Augusti, sedentis in solio Impe-

rii Romani exegisset ab eis submissionem, abundè fuisset satis, mittere ipsi Legatos: sed noverrant optimè, satis non fuisse, nisi in propria venirent persona, adoratum divinum hunc infantem, quamvis alio non divitem palatio nisi vili stabulo, nec alio residentem throno, nisi tenui fœno, exili palea; quamvis eo fuerit in statu, secundum naturam, ut ne quidem cognoscere sibi exhibita potuerit homagia; quamvis in exterioribus viderint nihil, quod ad talem incitaret ipsos reverentiam, quâ Principes tantâ imbuti sapientiâ sese dimitterent ad committendam actionem tam inauditam, ubi tam parùm apparentis duntaxat conspiciebatur rationis, nisi conspexissent & scivissent optimè, sub infirmis hinc apparentiis absconditam latere divinitatem.

Unum è duobus verificari necesse est, vel hunc infantem in præsepio adoratum, verum esse Deum, vel hos Principes adoptantes ipsum, non esse Magos. Si non est, nisi infans de plebe, illi, qui tam à longè venerunt ad adorandum ipsum in paupere & despicabili hoc apparatu, non sunt Magi, nec Sapientes; maximam enim commiserunt stoliditatem. Si verè est Infans Deus, ii, qui illuminati fuerant ad cognoscendam ipsius divinitatem, sub velo tam vili, absque dubio

Probatio evidens, Reges Magos deceptos non esse, adorando Jesum ut verum Deum.

Magi sunt & Sapientes: maximæ enim exantlarunt opus sapientix. Sed quodnam è duobus? vide, quid præcesserit, quid ipsorum actionem fuerit subsecutum.

Psalm. 71.  
v. 10.

Imprimis ingens hæc actio trium Regum prænuntiata fuit & publicata ab alio magno Rege, sancto David, pluribus, quam mille annis prius, quam exhibuerint ipsam: *Reges Tharsis & Insula muneribus offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent.* Sed quæ ipsorum subsecuta sunt actionem, fuerunt mira prorsus & stupenda: siquidem videmus, exceptam esse ipsam omnium applausu sæculorum, celebratam ubique encomiis sanctiilimorum & sapientissimorum Principum ultra millesenos sexcentos annos. Sola hæc Regum Magorum actio, de qua dubitare nemo potest, nonne sufficeret abunde ad persuadendam irrefragabiliter divinitatem Infantis Jesu? nuncupatur etiam Epiphania, id est, manifestatio Dei, & ubivis celebratur plausibus lætitiæ, velut unum è maximis totius Ecclesiæ Festivis.

Adoratio Magorum non potuit esse falsa.

Quid dici ad hæc potest? an suspicari quisquam possit, latere hic fraudem, hancque trium Magorum adorationem non extitisse, nisi speciosam quandam imaginationem, quam ab initio exceperit mundus cum voluptate, velut figmentum argute exco-

gitatum, quæque paulatim è fabula evaserit historica, & è ficto ad factum transierit successu temporum? Verum publicata ipsa primitus fuit ab eisdem linguis, prædicata ab eisdem Apostolis, exarata ab eisdem Evangelistis, qui reliquum sancti Evangelii scripserunt, quod fabula non est; nec unquam innumera multitudo eorum, qui Evangelium receperunt, dubitaverunt de hoc minimum, non magis quam de cæteris. Verum est ergo, tres Reges Magos venisse è longinquo, ad adorandum infantem Jesum positum in præsepio: hoc est absque controversia.

An dicatur ipsam fuisse actionem stolidam? sed qui exantlarunt ipsam, Principes sunt sapientissimi, exequentes in hoc vaticinio veteris Testamenti, quæ infallibilia sunt, quique gratâ admurmuratione, jucundo plausu excepti sunt à tot millionibus Magnatum, virorum sapientissimorum, famosissimorum Doctorum, ab innumero populo vitæ sanctitate & prudentiæ laude conspicuo: Actio igitur fuit sapientiæ maximæ. Est sapientissima.

An asseratur, esse opus rationis humanæ? Sed è contrario, exilis apparatus, in quo apparebat ille, quem Reges adorabant, ubi nil videbant, quòd non refugerent sensus, quòd non abhorreret animus, quòd non adversaretur omni Est opus Spiritus Dei.



omni prudentiæ humanæ, & unico verbo, quòd non potius conciliaret contemptum, quàm reverentiam, persuadebat omnibus sanâ mente præditis, ipsos exantlassè rem contra rationem.

Necessariò igitur concludendum est, opus hoc esse totum divinum: quantum enim volueris, desuper philosophare; quò

penitius, maturius, accuratius rem expenderis, discussèris, ponderaveris, eò videbis clarius, impossibile esse, quòd infans JESUS potuisset assequi, ut tanta sibi exhiberentur à Regibus honorum obsequia; in medio tantarum sese circumdantium vilitatum & abjectionum omninò palpabilem, nisi verus fuisset Deus.

## ARGUMENTUM.

*Palchrum spectaculum videre introitum Regum Magorum, adorantium Christum JESUM.*

### ARTICULUS II.

Descriptio  
admirandæ  
fidei Magorum  
adorantium  
infantem  
JESUM.

QUò conceditis magni Principes, quos intrare video hoc stabulum? *Adorare venimus infantem reclinatum in hoc præsepio.* Sed vos, qui Monarchæ estis, nonnè intuemini, non esse hoc palatium alicujus Regis, qui major sit vobis, ut mereatur, tantis a vobis affici honoribus? Haud refert, nos tamen *venimus adorare eum.* Hem! quid aspicitis in ipso adoratione dignum? Nonnè cernitis extremam hanc paupertatem, hanc paleam, hunc fimum, hunc fimum, hunc locum despectum; an arrideant hæc vobis ceu templum, in quo resideat Majestas, quæ vestras mereatur adorationes? *Nos accurrimus eo nomine ex Oriente, ad divinos ipsi reddendos honores.*

Verùm an creditis ipsum

Deum, an omnipotentem Creatorem mundi, quando propriis vestris intuemini oculis ipsum impotentissimum & abjectissimum inter omnes filios hominum? Siquidem vix unus ex illis eò redigitur miseræ, ut nasci in stabulo contingat ipsum. *Nos venimus adorare eum veluti verum DEUM.* Sed ubi sunt notæ divinitatis ejus? ubi est folium ipsius gloriæ? ubi sunt legiones Principum cœlestis curiæ ipsum circumdantium? ubi est ille splendor, illa magnificentia, non separabilis à majestate Dei? *Nos non cernimus penes ipsum, nisi pauperem virum, & pauperem feminam, & duo animalia, & venimus adorare eum seu verum DEUM.*

Itane? vos, qui estis Principes, ita vestri obliviscimini dignitatis?

Matth. 2.

gnitatis? Vos, qui estis sapientes, ita vestram vos abdicatis sapientiam, non considerantes, propriam ipsius patriam nullo ipsum habere loco? an ignoratis, ab omnibus ipsi denegatum diversorium, ac proin compulsum venire ipsum in desertum hoc stabulum, ut suum hic faceret introitum in mundum? Nonne videtis, nec unicum ex tota civitate Bethlehemi, cui melior de ipso esse debet notitia, quam vobis, vel minimam afficere ipsum veneratione ac reverentiam? *Nos venimus ex Oriente, ut adoremus eum, & supremos ipsi DEO debitos impendamus honores.*

An fortasse cernitis prodire ex oculis ipsius, sicut de Augusto spargitur, radios majestatis & gloriæ, qui concutiant vos tremore coram ipso: *Diffluere cernimus ex illis lachrymas, & venimus adorare eum, nosque prosternere ad pedes ejus.* An inusitata forsan ex ore ejus dimanans vos capit facundia, quæ persuadeat, ut humilietis vos coram ipso? an ergo cognoscitis, ipsum omnipotens esse Verbum Patris, quod totum hoc universum traxerit è fundo nihili virtute sui Verbi? *Nos audimus planctus & vagitus aliusque infantis, quos frigus & mala, quæ patitur, ex ipso extorquent ore; & ardens experimur desiderium prosternendi nos ante ipsum, demisso in terram vultu, & venerandi ipsum profundissimis adorationibus.*

Quid ergo est tandem, quod Solum lumen divinum incirabat Magus ad faciendum, quod fecerunt. exstimulet vos ad conficiendum opus tam inusitatum, tamque inauditum in Principibus sapientiam excultis, & eximio instructis iudicio, ubi vos estis? suntne splendores magni cujusdam luminis, totum ipsius palatium adimplentis, quo vestri offundantur, offendantur & offuscentur oculi? *Non, nam locus est horrens tenebris & inamans.* Estne vox & clangor tubarum canorus, qui ipsius annuntiet & evulget gloriam? *Non, nam magnum est silentium, & solitudo profundissima.* Suntne ergo geminæ illæ personæ, stipantes latus ipsius, quæ verba faciant vobis, vobisque persuadeant, ipsum esse Deum? *Non, nam amba suos in infantem defixos tenent oculos, & obmutescunt.* Sed & nobis verba desunt, quibus explanemus ipsi affectus cordis nostri: Venimus autem adorare eum velut DEum nostrum, prosternere nos ad pedes ipsius, velut summi Regis nostri, & offerre ipsi munera, nostra velut homagia, & servitutis nostræ indicia, submissionis nostræ testimonia.

Christiane, qui legis has Christianis e-rubescendum est, quod non adorent Jesum Christum in templis suis. lineas, quantum hic vides spectaculum? ad hoc quid dicis prodigium? an nondum tibi satis persuasum est, divinum hunc infantem verum esse DEum, qui suam potentiam creavit te, quique

que eo nomine descendit de cœlo in terram, ut suâ redimeret misericordiâ? Tua est insensibilitas, tua stupiditas, quòd non movearis exemplo magnorum horum Principum, ut veneris ipsum sicut illi, profundis adorationibus: Si fuissetis ex ipsorum comitatu, fecissetis sicut ipsi, modò quid facere possumus, nisi quòd approbemus & ratam habeamus ipsorum devotionem ac zelum?

Quid faciendum est Christianis, qui nòrunt eundem Jesum Christum nunquam non dignari manere nobiscum in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento? Itane? non id tibi sumas, id subeas difficultas, ut exeas è domo tua & adeas Ecclesiam, ad adorandum ipsum in suo tabernaculo; cùm Reges ab extremis mundi accesserint plagis, ad adorandum ipsum in stabulo? Vos, Christiani, qui vivitis in plena meridie fidei, quàm devotio plurimum, quàm sedecim sæculorum confirmavit, quàmque lumina, cognitiones & scientiæ decies centenorum millium Doctorum illustrârunt; vos illum non agnoscatis velut vestrum DEum in majestate templi sui; cùm Reges, qui illum nondum adorari viderant ab ullo homine in mundo, ipsum agnoverint & adoraverint repositum in paupere præsepio.

Injuriam mihi facis, inquires: Videretur, Christum non frequentare Ecclesiam, ut ibi adorent Christum Jesum. vado enim ad Ecclesiam & adoro Jesum Christum, velut Deum meum in sanctissimo Sacramento. Haud ignoro, te irè ad Ecclesiam; sed an credere possum, concedere te illuc ad ipsum adorandum, dum video, sanctum hunc locum te frequentare minore cum reverentia, quàm frequentant conclave viri alicujus honorati? Nonnè diceretur tibi potius, te venire illuc, ut ipsum contempnas, dum conspicitur, te ibi permanere absque modestia & absque reverentia, te ibi blaterare liberè velut in plena platea, te ibi verba quoque facere de rebus profanis; sed neque videri, te percipere, ipsum tibi esse præsentem? Estne hoc, quod tu nuncupas, adorare teipsum velut Deum tuum? Consule cor tuum, & perpende seriò, quid agatur tecum in temetipso. Nonnè verum est, non esse affectum Religionis, nec impulsus veræ pietatis, quæ ducat te ad Ecclesiam, sed consuetudinem & meram cæremoniam, ut facias id, quod faciunt & alii? Nonnè verum est, quòd dum ibi peraguntur formidanda mysteria, tam parum mente intendas DEO, tamque parum moveatur exin anima tua, ac si perficeres opus quoddam indifferens? Et audeas adhuc dicere, te querere Christum Jesum in templo

M m

suo,

fuo, ut adores ibi illum ceu DEum tuum?

Quomodo oporteat vere adorare Deum?

An probè nōsti, quid sit adorare? an nōsti, id esse supremam DEI agnoscere majestatem; infinitam, quam in te habet, potestatem; absolutam, quā subderis ipsi, subjectionem; & in hac confessione te profundissimè coram ipso humiliare, cum sincera & candida agnitione tui nihili? Optarem ergò videre te in statu & habitu corporis humillimo, & maxime ad omnem venerationem, quantum fieri potest, composito. Optarem ergò interiora tua, & cor tuum magis adhuc humiliari & annihilari, coram formidanda hac majestate; animum tuum non revolve- re cogitationes alias, nisi quæ excitare possent fidem ipsius, ut credat firmiter, quòd jam non credit, nisi socorditer; mentem tuam & affectum tuum accendi totum ardoribus divini amoris

fui. Optarem denique intueri te ita collectum in temetipso, ita intentum & defixum Deo soli, ut non absimilis esses Angelis in cælo, adorantibus ipsum cum timore & tremore: adorant Dominationes, tremunt potestates. Et tunc crederem, te eo nomine venisse, ut adores ipsum cum reverentia in templo sancto suo.

Sed redeo ad vos, magni Principes, quos prostratos adhuc video ante præsepe infantis JESU, quique monstrastis nobis exemplum adorationis perfectissimæ; nonnè adhuc dicitis nobis motiva efficacia, quibus exstimulati estis ad exhibendos ipsi tantos honores, videntes ipsum in loco tam vili & abjecto? Vidimus stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum? Percuperem igitur nōsse, quid sit hæc stella, quæ tam mirabiles effectus in ipsis potuit operari?

## ARGUMENTUM.

*Admiranda cæli facula, quæ deduxit Reges in stabulum Betle-  
miticum, ad adorandum ibi JESUM Christum.*

### ARTICULUS III.

Cælum est magnus liber, & alia sunt characteres.

**V**olumen ingens est cælum, ubi dextera DEI exarare complacuit veritates adeò sublimes & abstrusas, ut si legere possemus radios hos luminis, quibus significantur, characteres,

universa natura nihil haberet arcani, cujus perfectum non haberemus notitiam. Carpophorus, qui oblectabatur plurimum studio Astrologiæ, quique cum longo tempore indagasset natu-  
ram,

ram, dispositionem & virtutes speciales astrorum, credebat, se arcana eruisse & in lucem protulisse paucis explorata, declarare nobis voluit, quid meditationibus suis hauserit cognitionis circa novum hoc astrum, quod in caelo apparuit, nascente Domino Salvatore nostro?

An stella Magorum fuerit Cometa.

Credideram primitus, dicebat nobis, id esse potuisse aliquem Cometam, ea ex causa apparentem, ut prænuntiaret calamitates vitæ ipsius, quæ tota miseriis obruta, tandem crudeli & probroso fato fuerat terminanda. Sed memetipsum correxì, revocans in mentem, nil funestum nec tragicum esse posse, respectu personæ Christi JESU, cum omnia, quæ in ipso & circa ipsum peracta sunt, causa sint felicitatis in toto universo.

Nihilominus mecum conclusi, ipsam esse non posse unam è stellis, quas fixas nuncupamus, quæque affixæ sunt firmamento eò quòd situatio hujus atri fuerit valde diversa, cum apparuerit proxima terræ infra mediam regionem aeris; deinde ipsius duratio non erat durationi aliarum æqualis: cætera enim stellæ ejusdem cum mundo sunt antiquitatis, cum collocatæ sint in caelo unà cum sole quarto creationis die, & ejusdem futuræ durationis cum caelo, cujus nonnisi sunt partes cæteris splendiores:

& novum hoc sidus apparere non cepit in mundo, nisi ipsa nocte nativitatis infantis JESU, & paulò post disparuit, nunquam nec antea nec postea amplius conspectum; & deinde motus ipsius nec erat circularis, nec rapidus, sicut ille stellarum, quæ rapiuntur per motum primi mobilis, ut singulis diebus suum circa mundum conficiant circuitum, Novum hoc astrum tenebat iter directum & motum satis moderatum, ut accommodaret se itineri Principum, quos conducere & comitari debebat. Non fuisse igitur stellam quandam ordinariam omninò est statuendum.

Posthæc arbitratus sum, ipsam forsan non esse, nisi quoddam phænomenon, id est, apparentem quendam ignem, quem caelum accenderit, ad demonstrandum suum gaudium in nova nativitate sui Regis conceptum, sicut mos habet in pluribus locis, quòd populi accendant ignes lætitiæ, flammæ festivas in nativitate suorum Principum; quòdque etiam hic ignis, qui habere videbatur directionem rationi conformem, deportatus fuerit ab aliquo Angelo, eadem ferè ratione, quâ aliquis Ephebus teneret in manibus faculam, ad deducendos hos Principes ad pedes summi Monarchæ orbis totius.

Nihilominus cum ab Evangelio nuncupetur stella, & quidem

M m 2

stella

Stella non solum erat ignis lætitiæ, quem caelum accenderit in nativitate Regis sui.

Nec erat a-  
strum præsi-  
dens nativi-  
tati infantis  
Jesu.

Matth. 2.

stella propria infantis Jesu: *Vidimus stellam ejus*; dubitari non potest, quin hoc astrum creatum sit de novo ad obsequia illius. Et si tenenda est opinio plurimorum antiquorum Astrologorum, affirmantium, omnes infantes nasci mundo sub dominio stellæ alicujus particularis, quod regula sit ipsis vitæ ac morum, sicut & origo omnis vel felicitatis vel infelicitatis, per totum vitæ decursum; quamobrem etiam asseverant, illos qui magis scientiâ Astrologicâ excolti sunt, infallibiliter prædicere posse eventura circa infantem nascentem, ex aspectu atri, quod dominatur in horoscopo nativitatibus ipsius; hæc inquam stante opinione, non fuisset astrum in cælo, quod habuisset virtutem tam nobilem, ut præsidere potuisset nativitati infantis Jesu: oportebat ergo omnipotentem Dei manum datâ operâ novum creare sidus excellentioribus locupletatum donis ac proprietatibus, ad conferendum ipsi suarum influentiarum virtute totius mundi imperium.

Hæresis Priscillianistarum.

Quid inquis, Domine, interpellat ipsum Ecclesiasticus; nonne vides te prolabi in hæresin Priscillianistarum? An ignoras, omnes sanctos Patres condemnasse hanc opinionem, velut superstitionem periculosissimam, utpote repugnantem libertati li-

beri nostri arbitrii, & suavissimo influxui gratiarum Dei? Non statuenda est astris absoluta potestas in libertatem nostram, ut determinet nos ad sequendum cursum suum, suarum virtute influentiarum, cum nec ipse Deus, qui omnipotens astrarum est Conditor, sibi assumere voluerit hoc imperium, sed intactum nobis semper conservare velit jus libertatis, nobis semel concessum.

Non tamen nego absolute; quod astra habeant influxum admodum fortem, qui nuncupari possit species quædam imperii, in corpora sibi subjecta; ipsemet credo, ipsa habere dominium quoddam in nativitatibus & vitam hominum, quantum spectat ad functiones animæ animalis, ad destruendam vel conservandam naturæ temperiem, ad concitandum passiones, ad promovendam vel infirmitatem vel sanitatem. Sed affirmare, quod astra, quæ sunt corpora, habeant dominium quoddam in animas spirituales, quæ ordine superiores sunt corporibus, error est: Et exeogitare, quod insuper habeant potestatem absolutam in libertatem, quæ nobilissima animæ rationalis est prærogativa, quæque etiam habere videtur parvam quandam umbram independentiæ Dei, hæresis est condemnata à Concilio. Impossi-

bile

Quantum virtutem in nos habeant astra, quæ præsent nostræ nativitati.

bile igitur est, cognoscere ex aspectu astrorum, quis futurus sit vitæ cursus alicujus hominis in rebus dependentibus ab ipsius libertate, vel etiam libertate alterius? Quoties conspecti sunt Principes confudisse temeritatem

Argumentum  
absque re-  
sponso.

certorum Astrologorum gloriosius se jaçantium, infallibiliter prædicere se posse res eventuras mortalium? ubi cras eris tu, qui mihi prædicis hæc? Ego ero in tali loco, respondebat Astrologus, faciámque rem talem juxta influxum sideris mei: Ego impediam te ab eo, reponerat Princeps; & mox concludi jussit ipsum ergastulo. Ecce tibi argumentum, ubi nihil inveniebat, quo solveret!

Fateor hæc omnia, inquit Carpophorus; nihilominus admitenda est exceptio quædam regulæ hujus universalis circa factum Magorum, & stellam, quæ contulit illis cognitionem JESU Christi. Quando enim nobis dicunt; vidimus stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum; manifestè hoc innuit, quòd cognoverint ipsum per stellam, tum quòd natus sit, tum quòd DEUS sit: aliàs non venissent profecuturi ipsam honoribus supremis soli Deo debitis.

Solus aspectus stellæ non poterat ostendere Magis, quis esset infans JESUS.

Hoc esse non potest, reposuit Ecclesiasticus; nam si astra ostendere non possunt ea, quæ con-

vitæ humanæ, in rebus etiam naturalibus, si referantur ad aliquid, quod spirituale est, vel quod dependet à libertate; quanto minus ostendere poterunt res supernaturales & divinas, quæ sunt effectus gratiæ? Omnia divina sunt & miraculosa in persona infantis JESU. Quòd sidus efficere poterit, ut legat in ipso Astrologus: Virgo concipiet & pariet Hominem Deum, parabit is miracula, salvabit peccatores moriendò pro ipsis. Omnia ingentia hæc prodigia, quæ maxima arcana sunt consiliorum Dei, an exarari poterunt in frontibus astrorum! Et tandem infans JESUS non dependebat à stella Magorum, sed stella dependebat ab ipso: Illa ergò esse non poterat regula eventuum futurorum cum ipso, sed ipse dirigebat eventus futuros stellæ; siquidem ipsa apparuit, quando is uti voluit ipsius servitio, & disparuit quamprimum is jussa dedit: *Non S. Aug. lib. 2. ad decretum dominabatur, sed ad testimonium simulabatur.*

Non S. Aug. lib. 2.  
ad decretum dominabatur, sed ad testimonium simulabatur.  
c. 5.

Sed tandem, reponit Carpophorus, quis ergò manifestavit Regibus Magis, quòd stella, quæ ipsis apparuit in Oriente, extiterit vox cæli annuntians introitum supremi cælestium Monarchæ in hunc mundum inferiorem? opus enim fuerat re quæpiam præpotenti, quæ persuaderet Principibus tam gravibus,

M m 3

tam

tam severis, tamque prudentibus, ut è plagis adeò remotis venirent ad ipsum quærendum & adorandum?

Plus æquo scrutaris, replicat ipsi Ecclesiasticus; licet nobis ratiocinari circa res naturales, sed non circa divinas: rimari permissum est illas, quia nostrum non superant captum; sed adorare oportet has, quia sunt supra nos. Quâ ratione usus fuerit DEUS stellâ, quæ Magis apparuit, ut se ostenderet illis, ipsosque vocaret ad pedes Salvatoris mundi: arcanum est reservatum divinæ ipsius cognitioni.

Non examinanda sunt arcaua Dei.

Non me latet, plures sanctos Patres, qui circa hoc philosophati sunt prodigium, velut S. Basilus, S. Hieronymus S. Leo Papa, & plures alii, observâsse quòd hi Principes extiterint posteri & nepotes, Vatis Balaam, qui ex traditione majorum suorum noveant, ipsum vaticinatum esse, quòd oritura esset stella ex Jacob, ex qua velut ex certa nota addiscerent nativitatem Regis Judæorum, cujus absolutum imperium se extensurum esset per universum orbem, quòdque illi, qui ex primis sua illi præstarent homagia, futuri essent beati: Conservabant insuper in manibus versùs Sibyllâ Erythræ, qui confirmabant hanc promissionem, & magnâ custodiebant sollicitudine hanc traditionem, ve-

Num. 24.

Quomodo Reges Magi instructi fuerint & persuasi à stella, ut irent & adorarent IESUM Christum.

lut speciale arcanum familiæ suæ concreditum, & maximo cum desiderio expectabant apparitionem hujus stellæ, utpote allaturæ sibi tam bonum augurium.

Hinc nunquam non habebant cordi, suos edocere filios scientiam astrorum, deputantes insuper à Patre in filios semper aliquem è sapientissimis, qui habitaret in quodam palatio hunc in finem in monte Victoriali exstructo, cui aliud non incumberet, nisi dies noctesque contemplari cœlum, ad observandum ortum & apparitionem stellæ tam diuturno tempore expectatæ; quam tandem spectârunt de cœlo ad se descendere & subsistere supra præfatum montem, in quadam distantia suis imminentem verticibus.

Si circa hoc credere volumus Auctori operis imperfecti super Matthæum, quod attribuitur sancto Chrysostomo, apparuit ipsa in forma parvi infantis, portantis crucem super humeros suos: affirmat insuper, quòd allocuta fuerit ipsos, & specialiter informaverit circa nativitatem infantis IESU, designando illis tempus & locum, ac adhortando, ut quantocyùs irent, ipsèque adorarent in Judæa. Si sacer codex hæc nobis diceret, nullus nobis foret reliquus ambigendi locus, quâ ratione is cognitus fuerit à Magis; sed hic Auctor

Stella apparuit supra montem Victorialem.

Hom. 2. in Matth. Auct. oper. imperf.

An apparuit in forma infantis & locuta fuerit.



Auctor incertus est, cujus æstimatione non fuit tantæ auctoritatis, ut ab universa acceptaretur Ecclesia.

S. Aug. tom. 31. l. 3. c. 40.

Alius quidam incognitus, qui scripsit de mirabilibus Scripturæ, cujusque opera accensentur illis sancti Augustini, credit hanc stellam fuisse ipsum Spiritum sanctum, qui apparuerit Magis sub forma alicujus sideris, ad informandum ipsos de nativitate Solis Justitiæ, sicut postea apparuit sancto Joanni Baptizanti Jesum Christum apud Jordanem, ubi vox Patris audita est:

Math. 3. v. 17. *Hic est Filius meus dilectus*; & sicut denique apparuit in forma linguæ igneæ in cœnaculo, ut emitteret eos ad annuntiandum gloriam suam per universum orbem. Et confirmat sententiam suam ex audacia & intrepiditate, quam ostenderant Magi, quando concesserunt annuntiatum Herodi ipsi, in medio Jerosolymarum, nativitatem alicujus Regis Judæorum, quod attentare nunquam fuissent ausi, nisi extimulati, roborati & conducti à Spiritu sancto.

An fuerit Angelus?

Origines & Theophylactus opinantur, fuisse Angelum, qui admonuerit Reges Magos in Oriente, sicut alius Angelus admonuit pastores in Judæa. Et alii tandem aliter locuti sunt circa apparitionem hujus stellæ, juxta intellectus sui cognitiones ac lu-

mina. Sed Ecclesia nec reprobavit, nec recepit particulares ipsorum opiniones, velut veritates certas & indubitatas.

Certissimum, quod hac de re dicere possumus, est, quod aspectus stellæ annuntiaverit Magis Regibus nativitatem Salvatoris mundi, sed nōsse, quâ ratione, arcanum est, soli Deo cognitum.

Credendum est, quod eodem tempore, quo lumen hoc visibile corporales ipsorum illustravit oculos, aliud lumen interius ipsis oculis illuminaverit animæ. Erat præcursor hic Messia respectu Gentilium, sicut S. Joannes Baptista postmodum fuit respectu Judæorum; & de uno potest dici sicut de altero: *Erat lucerna*

*ardens & lucens.* Erat hic primus Apostolus, qui attulit fidem oculis nationum infidelium, sicut postmodum sanctus Apostolus Paulus annuntiavit illam ipsarum auribus, cum ambo loqui didicerint in eadem schola cœli. Dicit potest de ambobus, quod sanctus Augustinus dixit de stella: *Magnifica lingua cœlorum*, quæ magnificè loquitur de excellentiis infantis Jesu.

Sed lingua hæc quanto cyus obmutescit & tacet, ubi appropinquat ad Verbum; stella hæc illicò disparet, ubi accedit propius ad corpus Solis sui, suum cum gaudio amittens splendorem in ingenti hæc abyssu luminum.

Eodem tempore, quo stella illuminavit oculos Magorum, illuminavit Deus ipsorum animas.

Joan. 5. v. 35.

S. August.

num.

num. O DEUS ! quantas hoc mysterium affert delicias animæ JESUM Christum amanti ! Et quanto demulcetur gaudio, quando conspicit totam cæli & terræ gloriam simul conjunctam & unitam, absorberi & annihilari ad pedes ejus ! Cælum ostendebat gloriam suam in splendoribus novi hujus sideris, & tota terra suam portabat gloriam, quasi in triumpho in persona trium horum Regum habentium coronam in verticibus suis. Et omnia hæc prosternunt se simul ad pedes infantis JESU, seque annihilant in gloria ejus, eoque maxima & summa quæque in cælo & in terra, quasi nihil sint in ipsius præsentia. Reges non amplius sunt Reges, ipsorum Corona jacet in terra in præsentia magni hujus Monarchæ: Stella non est amplius stella, omnia ipsius lumina sunt absorpta in lumini-

Gaudium bonæ animæ, dum videt gloriam cæli & terræ ad pedes infantis JESU.

bus magni hujus Solis; non apparet ipsa amplius post felix & faustum hoc momentum. Ah! quomodo quærere possent cælum & terram, postquam semel invenerunt JESUM Christum?

O bone JESU, quid amplius quærendum est? Nunquid sufficit animæ, postquam jam semel te invenit? Nonne tu amabile centrum es, quod perfectam affers quietem, cordi te amanti? Nonne tu bonum infinitum es, cuncta nostra explens & satians desideria? Tu solus es, ô JESU, qui vera nostra es beatitudo, qui repleas animam nostram abundantia ineffabilium honorum, quæ transcendunt capacitatem ejus. Patere, mi amabilis JESU, ut accedam propius ad te, ad adorandum te, ad contemplandum te, ad admirandum te, ad amandum te, & ita perdendô me totum in te.

## ARGUMENTUM.

*Stella Regum Magorum, immutata in Solem respectu nostri.*

### ARTICULUS IV.

Cur intraverit Christus JESUS mundum per stabulum,

**N**ON possum cohibere me, prosequitur Ecclesiasticus, quin hic ostendam tibi mirificum augmentum luminis & cognitionis, quod JESUS Christus velut divinus Sol, copiosissimè effudit super homines. Invenit ipsos omnes in densissimis ignorantia

tenebris; & quia versabantur in nocte, quærebat illos, ubi erant, & suum in mundum peregit introitum in noctis caligine & obscuritate. Invenit illos omnes vitam agentes bestiarum; & ideò intrare primitus voluit per vile & abjectum stabulum, quod non est,

est, nisi diversorium bestiarum; hinc quærere debebat peccatores, qui induti fuerant bestias.

Magi non habebant nisi lucem stellæ, nos habemus lucem solis.

Spectabatur is tam parum in hoc statu, quamvis Sol esset omnino divinus, ut non videretur nisi per faces: ideo opus fuerat, ut illarum unam accenderet cœlum, quæ illuminaret Reges Magos, illósque deduceret e longinquo in Judæam, ut mediante illius lumine invenirent ipsum. Exiguus hic splendor, quem recipiebant ex hac stella, denotat exiguam cognitionem, quam receperunt primitus, quæ non erat nisi parvus adhuc veritatis radius: siquidem cognoverunt duntaxat, natum esse Regem Judæorum, & hunc esse Messiam, tantis sæculis à suis expectatum Patribus.

Verum est, non parum id fuisse pro infidelibus; referebant enim secum, hanc firmam fidem, quæ primum fundamentum est totius Evangelii, illamque prædicaverunt in regionibus suis, sicut affirmat nobis S. Chrysostomus, qui nuncupat ipsos Evangelistas: *Ipse adventu tuo Magos ab Oriente vocasti, & Evangelistas eos ad sua remisisti*; & ideo quoque reportare meruerunt palmam Martyrii: siquidem idololatræ, cum audirent ipsos annuntiantes veritatem unius solius Dei, qui paulò ante apparuerat in mundo,

quémque ipsimet adoraverant, Magi Martyr occiderunt ipsos velut inimicos non affecti.

Deorum, abolere volentes cultum ipsorum per introductionem Religionis novæ. Historia id enarrans loquitur his verbis:

*In Arabia fortunata, in civitate Sessa. L. Dexter. Chron, ad an. 70.*  
*nia Adrumedium Martyrium sanctorum trium Regum Magorum, Caspari, Balthasari, Melchioris, qui adoraverant Jesum Christum.*

Exin sacra ipsorum corpora transportata fuere Constantino-polim, & inde Mediolanum, ubi longo tempore velut pretiosæ reliquæ asservata fuere, donec Imperator Fridericus Barbarossa magnam hanc diripiens civitatem, ingentem hunc thesaurum abstulerit ipsi, illumque Coloniæ jussit deportari, ubi sacra hæc corpora modò ab universo mundo honorantur, & maximæ habentur venerationi. Ecce primum tibi jubar auroræ divini hujus Solis, & primum radium luminis, quem effudit in mundum!

Posthæc sese extulit, prodeundò ex hac caligine, sed totus adhuc circumfusus nubibus, & valde adhuc incognitus mundo triginta primis vitæ suæ annis, quos transegit in domo & officina pauperis opificis, in conditione tam abjecta, ut nullius quasi subierit hominis vel mentem, vel cogitationem: credebatur esse filius hujus opificis, qui erat S. Joseph,

N n

seph,

S. Chrysof. hom. 16, ex variis in Matt.

seph, quamvis reverà nonnisi matrem abs patre haberet in terris, sicut habet nonnisi patrem sine matre in cœlis. Sed quia respectu sui solam gerebat apparentiam Patris, fuit illi subditus, honoravit ipsum, sua ipsi præstitit servitia, quò ad vitam habebat superstitem, cui finem imposuit circa finem anni trigesimi vitæ Salvatoris nostri. Et admodum verisimiliter creditur, quòd ad relinquendum rarum & inusitatum exemplum reverentiæ à filiis parentibus, patribus & matribus suis debitæ, nunquam sibi aliquam assumere voluerit auctoritatem, nec incipere magnum hoc missionis Opus, pro quo exequendo missus fuerat à divino Patre suo è cœlo in terram, quoad vixit sub obedientia illius, quem mundus velut suum respexerat Patrem.

Quomodo  
cognitio Jesu  
Christi suc-  
cessivè sit au-  
cta?

Quando manifestare se incepit in Judæa, aspicere inceperunt homines novam quandam lucem se illuminantem: intuebantur vitam ipsius, quam ducebat, esse sanctissimam, (nam primò incepit facere, postea docere) videbant ipsius miracula tam frequentia, tamque magna, ut ejusmodi viderint nunquam, rapiabantur omnes admiratione, audiebant doctrinam ipsius, quæ reddebantur omninò attoniti. Nihilominus plerique huic luminis claudebant oculos, & (res mi-

ra) nonnisi paucissimos reperire erat, qui reciperent illud, quando ipsemet id diffundebat. Posthæc suos misit Apostolos in universum orbem, ut idem ipsi apportarent lumen; & plures absque comparatione id receperunt ex ore discipulorum, quam ex ore ipsiusmet divini Magistri. (Beatiores illi, qui non viderunt, & crediderunt, quàm illi, qui viderunt propriam personam Salvatoris mundi & non crediderunt)

Sed hæc lux fidei nascentis, quamvis longè clarior esset, & amplior luce Magorum, erat nihilominus circumfusa multis nubibus, quas dissipare quamprimùm non poterat: diffindendæ ipsi fuerant densissimæ Gentilitatis tenebræ, quæ tam diuturno tempore populorum occupaverat animos, quibus ita dominabantur, ut ipsorum pertinaciter sibi vendicarent possessionem, quæque licet dissipari non tamen ita funditus deleri poterant, quin semper aliquem in anima, unde exhibant, relinquerent nigrorem. Emendandi fuerant ipsi mores depravati hominum, quibus ab immemoriali tempore positum erat in more, ut nonnisi in omnibus gererent morem inclinationibus naturæ corruptæ: nonnisi magna cum difficultate redigi poterant eò, ut condemnarent vitia, quorum intueban-

Lumen sancti  
Evangelii dis-  
sipavit tene-  
bras Gen-  
tilitatis, velut  
sol nubes se  
cooperientes.

tuebantur exempla in Diis, quos adorabant; & difficilius adhuc, ut se resolverent ad amplectenda opera vitæ austeræ & asperæ, quæ ipsis ponebatur ob oculos, & à cuius amplexu abhorrebant summè.

Persuadenda fuerat mundò doctrina, quæ juxta apparentiam sanæ adversabatur menti; quæ docebat, adorandum esse velut Deum immortalem, hominem in cruce mortuum duos inter latrones; quæ præcipiebat relinquere omnia, ut ipsius premantur vestigia; quæ non proponebat nisi humiliations, paupertatem, miserias; quæ non promittebat nisi persecutiones & tormenta in hac vita: quanto opus labore, persuadere mundo, hæc omnia digna esse amore! Nihilominus se videre adhuc circumfusum superstitionis Gentilitatis exercitiis, quæ maximæ apud ipsam erant exultationis, & non videre adhuc in principio, nisi externam speciem Religionis Jesu Christi, quæ consistebat tota in simplicitate, in humiliationsibus, in afflictionibus: quâ ratione fides eorum non intricata fuerat obscuritatibus mille haud parum offuscantibus ipsius splendorem? Eadem ratione, quantis opus fuerat prodigiis ad stabilendum illam? quantis disceptationibus, quantis pugnis, quantis stragibus, quantis trucidationibus? O Deus,

quantis fuit opus imbribus sanguinis Christiani ad dissipandos omnes nubes errorum & ignorantiarum, quibus involvebatur mundus ab initio!

Sed tandem omnes fugatae sunt tenebræ, serenitas cœlo rediit, irradians horizonti evicit Sol, & nunc cum gaudio intuemur plenum diem veritatis Catholicæ; id, quod non fuerat nisi stella, respectu Magorum, evasit in Solem splendidum ac radiosum respectu nostri; cum nullum quasi amplius videamus vestigium vanarum superstitionum Gentilitatis; cum nulla fiat amplius mentio figurarum & imperfectarum caeremoniarum Judaismi; cum nulla sit amplius ignorantia circa veritates Religionis, nobisque sit solatium vivendi in tempore, quò possumus dicere, Religionem Christianam plenam suam attigisse meridiem.

Et nihilominus videmus, veritates Religionis non æquali ratione receptas esse ab omnibus, qui nomen gerunt Christiani. Aliqui contenti sunt id circumferre in memoria, nonnulli in intellectu, & alii in voluntate. Primi illas sciunt, sed illas non intelligunt: Secundi illas sciunt, & illas intelligunt, sed nullum habent in illis gustum: tertii & vident illarum pulchritudinem, & gustant illarum dulcedinem, & mandant ipsas executioni cum gaudio.

N n 2

Dici

Modò versamur in plena meridie veritatis.

Tria genera Christianorum diversâ ratione aspicentium splendorem nostrarum veritatum.

Dici potest, in veritate, veros non esse Christianos, nisi hos solummodò.

Eheu! fides plerorùmque Christianorum non est quasi nisi in memoria; instruuntur primà fronte & edocentur verba, quæ exprimant articulos fidei, sed quid significant, prorsùs ignorant. Hi nullo moventur dubio circa res fidei, credunt simpliciter, quòd ipsis asseritur, quin ulterius circa id indagent, majoremque inquirant cognitionem; & dicitur has esse animas simplices, quæ plurimùm habeant fidei. Verùm haud mediocriter hæc duo differunt, credere absque cognitione, & credere absque ratiocinatione. Beatam æstimo animam simplicem, quæ credit absque ratiocinatione, & absque eo, quòd examinare velit primitias Religionis suæ, quando Deus concessit sibi donum fidei, inclinantis cor suum ad recipiendum cum veneratione oracula, quæ fides enuntiat, & conferentis sibi dispositionem interiorem omninò sanctam, ad degustandum veritates à Deo emanantes, eòquòd cor suum illas discernat, illasque agnoscat pro magno, quo ergà se fertur, amore.

Qui non habent fidem nisi in memoria.

Sed infelicem æstimo animam, quæ credit absque ulla cognitione, quæque contenta, certa nòsse & scire verba, quæ enuntiant articulos fidei, quin amplius se in-

formet, quid significant, quasi res foret, cujus sua non referret, vel non tanti ponderis, ut digna sit, quam sibi sumat cordi, pro eo, quòd ab ipsa dependeat felicitas vel infelicitas ipsius æterna, quæ evitari nunquam potest. Quid discriminis faciendum est inter ejusmodi animam, & hominem infidelem, qui absque eo, quòd habeat fidem, scire potest memoriter verba, quæ significant eam, quæque pronuntiare tam benè potest, quam ipsa?

Illi, qui habent fidem in intellectu, id est, qui Christiani sunt cum cognitione, beatiore sunt, modò utantur suâ ratiocinatione solummodò ad indagandum veritates Religionis sollicitè, & submittendum se illis cum veneratione, & non ad dubia, aut pertinaciter oppugnandum illas: hoc enim non esset suum captivare intellectum in obsequium fidei, sicut præcipit Deus, sed potius captivare fidem in obsequium intellectus sui, submittendò ipsam indignè iudicio rationis nostræ.

Non est cognitio, nec scientia, cujus nostrâ magis intersit, quam illa veritatum Religionis, quam profitemur. Omnes aliæ negligi possent, sed hæc absolute est necessaria, cum illa sit, à qua dependet tota nostra felicitas, vel infelicitas æterna. Nihilominus, ut habeatur hæc cognitio

Habentes fidem non nisi in intellectu.

Qui fidei de,

tio, ratione quâdam, quæ nobis sit commodo, non sufficit recepisse illam in suo intellectu, nisi etiam approbetur, degustetur, adametur à voluntate: si meo complecterer intellectu pulcherrimas quascunque cognitiones, quas unquam intellectu suo conceperunt omnes homines, circa veritates Religionis Christianæ, & aliud haberem nihil, non sum Christianus ex eo: possem enim similiter perfectissimam habere cognitionem circa omnia ea, quæ concernunt sectam Mahometicam, absque eo, quod idcirco sim Mahometanus.

Qui habent fidem in corde, sunt beati, Oportet veritates Religionis meæ occupare cor meum & lucrari voluntatem meam, ut ipsas approbem, ratas & acceptas habeam, ipsas amem, ipsis adhæream: Et tunc verè Christianus sum, si gaudio & voluptati mihi sit videre Christum Jesum secundum exteriora, id est, secundum ea, quæ nobis apparent in statu paupere, abjecto & afflictio vitæ suæ, secundum apparentem rigorem dogmatum & legum suarum, quæ omnino oppositæ sunt cunctis nostris inclinationibus naturalibus. Hoc durum est, non absque magno labore, non absque millenis reluctationibus huic colla subduntur jugo. Religio Christiana valde suavis est fructus, sed durus est cortex ejus & amarus; & hoc fortassis sen-

su S. Paulus dixit, quod littera occidat. Sed postquam anima eâ semel posita fuerit sorte, ut liceat sibi intrare in interiora Christi Jesu, id est, cognoscere & degustare Spiritum ipsius, tantas ibi invenit pulchritudines, ut mirificè demulceatur illis, & re ipsa experiatur contrarium ejus, quod visum fuerat sensibus.

Siquidem ipsa videt excellentias tam divinas, tam admirabiles in omni vitæ ipsius statu, tantas divitias in ipsius paupertate, tantam gloriam in ipsius humiliatione, tamque veras delicias in ipsius afflictione; ipsa videt tantam sapientiam in apparente stultitia crucis ipsius, tantum sanæ mentis in omni eo, quod sanæ menti videtur adversari, tantum justitiæ, tantumque virtutis, & tandem perfectionem adeò sublimem in omnibus ipsius dogmatibus ac legibus, ut nullâ re aliâ posset amplius delectari, cum in cæteris omnibus non intucatur nisi stultitiam, vilitatem & miseriam. Et ecce tibi animam verè Christianam, cum totam occupaverint ipsam divina fidei lumina, & penetraverint usque ad intima cordis ipsius.

Jesus Christus est verum lumen, qui venit in hunc mundum ad illuminandum omnes homines. Mirum est, quod cum ipse sit magnus æternitatis Sol, & infinitum lumen Dei Patris sui,

fui, omnes homines non illuminentur hoc lumine, sed plerique magis ament suarum tenebrarum horrorem, quam hujus luminis venustatem: Omnes infideles obfirmarunt & clauferunt ipsi oculos, & soli Christiani receperunt illud, sed non eadem ratione: siquidem tria agnosco genera Christianorum, qui recipiunt illud modo valde diverso, ubi jam percepimus. Aliqui, qui fidem habent non nisi in memoria, absque eo, quod considerent, vel indagent, quid ipsa doceat; & hi quasi nihil habent hujus luminis. Alii, qui habent fidem in intellectu, eoquod addiscere & intelligere studuerint ea, quae ipsa docet. Et hi illuminantur velut lapides à sole, exterius solum & in superficie. Tertii, qui receperunt fidem usque in corda, qui approbant illam, qui adamant illam, qui exequuntur ipso opere illam; & hi illuminantur velut globus crystallinus à radiis solaribus, ipsum penetrantibus, ipsumque demonstrantibus velut alterum Solem.

Quis inficiabitur horum ultimorum felicitatem esse inestimabilem? Et quis est, qui horum numero non velit accenseri? Eheu! non nisi in tua est potestate, & per te stat solummodo; divinus Sol non cessat unquam sua effundere & diffundere ubivis lumina; ne quæso

obfirmes oculos per continuam oblivionem Dei; neque sis induratus sensuque carens lapis in rebus salutis tuæ; sis pura & munda crystallus, immunis ab omni labe peccati, & expone te solum cum reverentia & attentione divinæ ipsius præsentia in oratione; vel emitte duntaxat plenum amore suspirium ex intimo cordis tui cum regio Vate, & dicit:

*Deus meus illumina tenebras meas*, Psalm. 17. & divina ipsius lumina penetratura videbis intima animæ tuæ. An non vides ad hoc invitari te à Scriptura? *Accedite ad eum* & Psalm. 33. v. 6. *illuminamini.*

Sponsa in sacro Epithalamio describit nobis felicem statum, quem obtinet anima sapius accedens ad ipsum: *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie?* plena meridies est altissimum cognitionis ipsius fastigium, quod dignatur evehere animam, cui se manifestat; & hæc anima, cui velut sponsæ blanditur, dicit; quod duo faciat ibi, nimirum quiescat & pascat. Ipse quiescit in illa, & illa quiescit in ipso, velut in centro suo, ita, ut ipsa se non moveat ad quærendum dilectum suum, cum jam invenerit illum: non consistit oratio ipsius in laborando, sed quiescendo & fruendo in pace suavissimâ Dei præsentia. Sed & hic deliciosè pascit illam, participem ipsam faciens

Ut aliquis vere Christianus, debet habere fidem, sicut globus crystallinus habet solem.

Quomodo Deus tradit bonam animam in plenam meridie cognitionis sue.

Cant. I. v. 6.

Qu  
rod  
fiv  
rum



faciens ejusdem convivii , quo tam abundanter pascit & satiat Beatos in cœlo , qui nonnisi ex cognitione & amore ipsius vivunt in æternum. Hic ipsa non est sollicita pascere seipsam cognitionibus proprii sui intellectus , aut affectibus voluntatis suæ : ipsa probè novit , se hic esse in convivio , seque totam invenit satiatam cognitione & amore DEI sui : hoc autem non impensis suis , sed ex mera liberalitate dilecti sui , & ipsa manet in pace , probè gnara , sibi jus non esse ad conquerendum : quando ipse abscondit se illi , eamque jejunam relinquit absque ullo gustu , contenta manet cum ipso , modò ipse contentus maneat secum.

Reperire est animas tam veras in cognitione DEI , quocum tam diu egerunt , quemque per frequentatas & fortunatas cognoscunt experientias , ut fi-

des ipsarum , nec dubio amplius nec obscuritati sit obnoxia : ipsa æquali cum fiducia & securitate ambulare nōrunt , in quocunque se statu invenerint , tam nocte mediâ , quàm in meridie , in caligine privationis , sicut in lumine possessionis : sicut tenebræ ejus , ita & lumen ejus. Ipsæ certæ sunt , se DEI esse , & DEum sui ; non volunt nisi ipsum solum , totumque ipsarum placitum est in placito ipsius ; sive offuscet illas , sive illuminet , sive vivificet , sive mortificet , sive consoletur , sive desoletur , ubique & in omnibus æqualiter contentæ sunt , securæ & certæ ex longa cum ipso agendi consuetudine , se unicè ipsius esse , absque exceptione , absque conditione , summamque suam in hoc consistere felicitatem , quòd ipsius sint eâ ratione , quæ maximè placuerit ipsi.

Animæ perfectæ æqualiter se habent in tenebris & in lumine.

ARGUMENTUM.

Rex Herodes timore percussus homagium præstat Majestati Jesu Christi.

ARTICULUS V.

Quatuor Herodes successivè regnarunt in Judæa.

DE quo Herode loqueris , interrogat Carpophorus ; novi enim quatuor esse Principes hujus nominis ; qui successivè Sceptrum obtinuerunt in Judæa ,

antè , sub , & post mortem Salvatoris nostri Jesu Christi. Primus est Herodes Ascalonita , qui asssecutus jam fuerat trigessimum quintum annum regni sui , quando

do Christus JESUS primum exorsus est annum vitæ suæ temporalis. Secundus fuit Herodes Antipas, qui decollari iussit sanctum Joannem Baptistam, & Christum induit veste candidâ tempore passionis suæ. Tertius fuit Herodes Agrippas, qui occidit sanctum Apostolum Jacobum, quemque Angelus percussit usque ad mortem in mulctam arrogantia suæ, sicut refertur in Actis. Et quartus fuit alius Herodes Agrippas Junior, coram quo S. Paulus oneratus catenis egit causam suam, sicut S. Lucas annotavit circa finem Historiæ Actuum Apostolorum: posset hic occurrere error circa nomen Herodis, quod est ambiguum; de quo tibi est sermo?

Sermo mihi est de Herode A-  
scalonita, qui inter memoratos  
quatuor primum obtinet locum.  
De illo scribit S. Matthæus in  
Matth. 2. v. 1. Evangelio suo: *Cum natus esset  
JESUS in Betlehem Juda, in diebus  
Herodis Regis: Ecce Magi ab Oriente  
venerunt Jerosolymam: Hic Hero-*

Joseph. de an-  
tiquit. Jud.  
l. 14. & 18.

des fuit primus Princeps alieni-  
gena, qui in possessionem indu-  
ctus est regni Judææ à Senatu  
Romano ad recommendatio-  
nem Antonii; quique, cum vi-  
deret, quod Sceptrum ablatum  
sit è manibus Juda, id est, natio-  
nis Judaicæ, suæque configna-  
tum dexteræ, quodque hoc ef-

set adimpletio Vaticinii Patriar-  
chæ Jacob: *Non auferetur Scep-  
trum de Juda, & Dux de femore  
ejus, donec veniat, qui mittendus est:*  
credere præsumpsit, seipsummet  
hunc esse promissum Messiam,  
seque adorari debere ab omni-  
bus Nationibus Judaicis; & ideo  
extruxit templum magnificum,  
in quo divinos sibi honores vo-  
luit exhiberi.

Ambitiosus hic Princeps, qui  
non solum supremum jus regni  
sibi arrogaverat, sed etiam velut  
Deum se aspexerat omnipotentem,  
tantæ in regno suo aucto-  
ritatis Viros advenas & incogni-  
tos in ipsa civitate Jerosolyma  
interrogantes conspexit: *Ubi est,  
qui natus est Rex Judæorum?* Res-  
mira! quod unicum hoc ver-  
bum velut fulmen emissum  
concusserit tremore potentem  
hunc Principem, & universali  
pavore totam civitatem Jero-  
solymam. O JESU! supreme  
mundi Monarcha, quàm formi-  
danda est potentia tua, cum  
solum nomen tuum percellat  
formidine universum mun-  
dum!

Ecce tibi terrore convulsos  
omnes, magnos cum parvis,  
Principes, Magistratus, Pontifi-  
ces, populos, totam civitatem  
in consternatione & pavore u-  
niversali, haud aliter, ac si con-  
spexissent ad portas suas exerci-  
tum centum millenorum ho-  
minum,

Gen. 12.

Herodes A-  
scalonita putavit  
se esse Mes-  
siam, adeoque  
adorari de-  
bere.

Matth. 2. v. 1.

Terror Hero-  
dis & totius  
urbis Jeroso-  
lymæ erat ef-  
fectus Divini-  
tatis JESU  
Christi.

Matth. 2. v. 3.

minum, jamque hostilis gladius, fatalis Rhomphæa suo immineret jugulo: *Audiens autem hac Herodes, perturbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo; omnia ipsis videbantur perditâ. Vah! Ecquis ita vos omnes opprimit, percellit, conturbat? si non esset, nisi quis de plebe diceretur: Re opus exiguâ ad incutiendum animo vecordi pavorem. Sed Regem tam potentem, civitatem tam famosam, populum tam copiosum, sic terrestri verbo unico, quo ipsis annuntiat natiuitas infantis JESU! Quantum Mysterium ergo latet in hoc verbo, quod non nisi dulcorem præferat & benignitatem? Nunquid necessariò lateat sub illo suprema quædam & summè formidanda potestas, quæ tanto percellat omnia terrore?*

Sed ubi est hæc potentiâ? de nulla adhuc constat. Sed quænam est terribilis hæc majestas? nemo illam novit. Sed quid mali vobis afferet? de nullo adhuc fit sermo. Dicitur solum, quod natus sit Rex Judæorum, quodque cælum nuntiaverit id ipsum Regionibus Orientis per ortum novi sideris ab ipsis conspecti. Estne hoc, unde vobis hic terror?

Est iste tam insolens, ut Herodes consilium coegerit militare, ad prospiciendum suarum

ditionum securitati. Pontifices, Sacerdotes, Doctores & ipsi, quoddam Concilii congregârunt genus, ad deliberandum de mediis, quibus suam conservant Religionem adversus novum hunc Monarcham, qui fortassis mutare ipsam volet; alius quoque indictus & celebratus est conventus; cui incumberet consulere libros legis, ad cognoscendum locum, ubi promissus nasciturus erat Messias? Et invenerunt hunc locum esse Bethlehem juxta vaticinium Michæ: *Et tu Bethlehem, ex te mihi egredietur, qui sit Dominator in Israël.* Sed Bethlehem non est, nisi parvus & despectus locus, qui cogere non posse videtur potentiam adeò formidandam; deinde est infans iste tam pauper, ut natus sit in stabulo, qui tanti roboris agere non possit expugnatorem, ut potentem percellat tremore Regem. Et nihilominus Herodes in medio totius sui præsidii, cohorte suâ stipatus prætoriâ, & celeberrima civitas Jerosolyma cum omni fortitudine & potestate suâ contremiscunt coram hoc infante, & contremiscunt, non quia viderunt ipsum, sed quia ipsius audiêrunt pronuntiarî nomen.

Quis non conspicit, pavorem hunc universalem non completi quidquam naturale, sed potius omninò adversari naturæ,

O o

&amp; sa-

Mich. 5.

Non erat hic naturalis causa timoris.

& sanam oppugnare rationem? Oportet ergo hunc infantem necessariò esse quid aliud quàm appareat; oportet divinitatem omnipotentem latere absconditam sub infirma hac humanitate, quæ tantos ejaculetur terrores usque in corda Regum, magnarum civitatum, multitudinis populorum, unicâ suâ præsentia, & absque ullius enuntiatione Verbi. Oportet igitur ipsum esse formidandum populorum domitorem, hostium victorem, urbium expugnatorem, Imperatorem invictum, ac imperii Amplificatorum potentissimum, cum ita prosternat ac conterat omnes vires humanas jam in introitu suo in mundum, faciâtque tremere omnia sub sui nominis majestate. O potentiam invisibilem, sed potentiam supremam! quàm eximium terrores hi omnes tum Regis Herodis, tum totius civitatis Jerosolymæ, inæstimabilibus tuis excellentiis præstant & exhibent homagium!

Divine Jesu! quantus igitur futurus est timor, qui tremore concutiet omnes nationes terræ, quando convocaverit tubarum fonitu illas coram tribunali justitiæ tuæ in fine sæculorum? cum jam parvulæ tuæ cunæ, ubi nonnisi diffuis dulcore, exterreant potentissimos Reges

terræ. *Quid erit tribunal judicantis, S. August. sc. quando superbos Reges cunabula terrebant infantis?* de Epiph.

Sed majorem mihi ciet admirationem, reponit hic Carpophorus, quòd tota civitas Jerosolyma potius abrepta non fuerit gaudiò, dum obtinuit nuntium, suum sibi Messiam esse natum. Itane? quem Patres ipsorum tam ignitis cum desideriis efflagitaverant à cælo, cunctis elapsis sæculis; quem expectabant velut felicitatem Israël, & velut omnium fontem bonorum, quibus reddi poterant fortunati; desideratum etiam ab omnibus mundi nationibus, velut illum, qui salvare omnes debebat homines, & effi-  
 hoc mundo inferiori: Ecce illum tandem advenisse, certi & securi adsunt rumores, fausti advolant nuntii. Nonne excitare debuerant in cunctis vicis & compitis ignes festivos? Nonne totam replere æthram odis & modulis lætitiæ? Nonne exire omnes turmatim extra suas urbes, ut prosternerent se ad pedes ejus, prima ipsi præstituri homagia, ac demonstraturi suum jubulum cordis? ut quid tristantur? ut quid mœrore se conficiunt? unde habent, quòd timeant? Ecce suis seiplos constringunt domibus, velut faci-

Urbs Jerosolyma & ipse Herodes habebant lætandi causam ob nativitatem infantis Jesu.

Qu  
om  
ga  
vit  
Ch

noro-

morosos illigatos vinculis timoris & pavoris?

Unde est, quòd Herodes ipse per universum suum regnum non publica ediderit lætiæ signa: Nonnè judicare poterat, ingenti ad fore suo commodo? Siquidem cùm videret adimpletum vaticinium Jacob, quòd Sceptrum auferendum sit à Juda, quando missus fuerit, qui mittendus est, nempe Messias, argumentum erat evidens: DEUM non amplius voluisse, ut Regem haberent nationis suæ: hoc igitur pro ipso maxima erat certitudo, quòd Sceptrum remanere velit in manu sua. Et pro eo, quòd exaltaret, tripudia-

ret, diffuere gaudio ob manifestam hanc imperii sui confirmationem, contremiscit, exterritur, consternitur, omnia pro se esse perdita sibi imaginatur, nec erubescit suam palam exhibere imbecillitatem ac vecordiam, non confunditur parvulum metuere pupum, vix natum timere infantem: Et unde hæc omnia?

Quid interrogas, reponit ipsi Ecclesiasticus? proprium commodum totum excæcat mundum, & millenis cunctis hominibus persuadet insullitates, absurditates, ineptias.

## ARGUMENTUM

*Peculiare & proprium sui ipsius commodum est solus tyrannus, qui submittere se renuit potentie JESU Christi.*

### ARTICULUS VI.

Quare non omnes afficiat gaudiò natiuitas JESU Christi.

VERUM quidem est, à Natiuitate Christi JESU diffundi debere amplissimum in universum orbem gaudium, eòquòd sit ipse promissus Messias, & desideratus cunctis gentibus, veniens è cælo in terram pro bono totius mundi. Sed bonum hoc est publicum & spirituale. Quia publicum est, quilibet in

particulari sibi persuadet, hoc se non tangere, nec inde sibi aliquid affluere felicitatis; & quia spirituale est, animæ carnales, quibus scætet mundus, id flocci faciunt; nam bonum spirituale & bonum commentitium, pari apud ipsos ambulant passu, æquali ponderantur trutinâ.

O o 2

Sed

Cur tota civitas fuerit turbata.

Sed commodum peculiare & bonum sensibile cujuslibet hominum, mirum in modum turbat & torquet ipsos, si vel minimum quid viderint, quod imaginantur sibi esse posse præjudicio. O si quis vidisset arcana cordium, & omnes cogitationes, quibus agitabatur animus hujus populi timore percussi! quam stupenda varietas affectuum, opinionum, judiciorum prope modum tam diversorum, quot numerare erat personas particulares! Quivis enim metuebat sibi ipsi, & commodo suo peculiari. Nihilominus non nisi unicus, unus & idem dimanabat ex hoc in omnes effectus, à Rege Herode usque ad novissimum e plebe. Et est, quod omnes fuerint infelices, omnes turbati, omnes inquieti.

Cur Herodes simuerit,

Tu contremiscis Herodes, non id admiror; metuis, ne tua tibi vacillet in vertice corona; ne tuum tibi extorqueatur e manibus Sceptrum. Novo huic Regi non animus regnum auferre temporale, sed potius regnum conferre hominibus æternum. Verum tu id non credis; solum nomen Regis, quod ipsi tribuitur, offendit te; & sola sufficit imaginatio, peculiare tuum commodum, depeculari posse ipsum, ut te torqueat, te turbet, te affligat, cruciet, trucidat.

Vos contremiscitis, Sacerdotes, Pontifices, Legis Doctores; & Sacerdotes, non equidem illius me tenet stupor: Vos prævidetis, quod Messias, qui magnus & æternus est Sacerdos, veniens in hunc mundum, immutare & in alium ordinem redigere posset religionem; unde & foret periculum, vestras dignitates, vestra officia, vestra beneficia, vestros reditus pati posse jacturam: Vestra commoda, propria lucra, quæ universali totius mundi commodo præfertis, vos maculant timore, ne veniat.

Vos contremiscitis populi Judaici; non hujus me capit admiratio. Non male metuitis, effrenem vestram vivendi licentiam reprobendam fore à Messia: Omnes Prophetæ describunt ipsum velut sanctissimum, velut Sanctum Sanctorum, qui non coinquinabit manus suas in iniquitatibus hominum; & velut Doctorem justitiæ, introducturum virtutem & sanctitatem in universum orbem. Emendandæ ergo vobis erunt viæ vestræ, & mores immutandi in meliores, impotens quidquid agendi rescindenda libido: quod ergo vos angit, vestrum tangit commodum particulare.

Tu contremiscis urbs Jerosolyma, non desuper obstupesco: immu-

Cur Pontifices

Cur totus populus Judaicus,

immutanda enim tibi erit facies; amplectendus alius rerum status; subeundæ leges aliæ, anti- quæ deserendæ consuetudines: tu times, ne Messias veniens ve- teres sit abrogaturus caremo- nias, quibus tanto tempore as- severas; tu metuis mutationem statûs, quin particulares quidam haud levia ex eo subeant præju- dicia; & quivis suo metuit emol- umento.

Commodum  
privatam in-  
citat totum  
mundum  
contra Deum.

Et interim, dum magnus DEUS de cælo descendit in ter- ram pro augmento gloriæ suæ & profectu salutis vestræ æter- næ, malè ominata vestra com- moda & lucra, quæ in compara- tione nonnisi sunt crepundia, in eandem vos simul trahunt sententiam, ut ipsum repudie- tis: *Convenerunt adversus Domi- num, & adversus Christum ejus.*

Psalms, 2. v. 2.

Quid prodest vobis, infelices cæci, inhiare commodis instar fumi, mox unico instanti peritu- ris, dum interim negligitis ma- gnum salutis vestræ commo- dum, quod unicum majori vo- bis est lucro, quam omnia simul mundi commoda? Quid con- fert vobis, conservare pugillum terræ, quem nonnisi paucis pos- sidebitis diebus; vel vitam mu- sca, quam perdetis ex his diebus unâ, invitis vobis, quando mi- nime credetis; vel exiguum lu- crum temporale, quod deserend-

dum mox erit, ubi deserenda est vita? Quid conducit vobis, hæc omnia pluris duxisse DEO, si perdatis cælum, & vitam bea- tam, & cuncta ineffabilia æter- nitatis bona. O maledictum sui ipsius commodum, maxi- mum Dei adversarium, & cru- delissimum animorum torto- rem ac carnificem! quomodo possibile est, ut dum ita sævis in omnes, omnesque miseros reddis ac infelices, adhuc omnes te revereantur, te sectentur & arctissimè te complectantur?

Infelix Jerosolyima, quàm in- felix tibi est ansa te affligendi, mœrore, tristitiâ ac dolore te metipsam accumulandi, non quod Messias, Liberator tuus se tibi coram exhibeat, sed quod tam sis misera, ut missum ipsum facias, repudies ipsum! Omnia tua simul & semel in nihilum redigis emolumenta. Quantis repudiatio hæc stabit tibi lachry- mis, quanto sanguine, quantis calamitatibus, quibus te videbis oppressam! Infelix Herodes, lu- culentum tibi terroris est argu- mentum, non quod incurras periculum amittendi regnum temporale, sed quod conservan- do huic commodo, quod tibi videtur haud leve, cum agatur de diademate, execranda medi- teris crimina, quæ æternâ te ob- ruent miseriâ! Ecce magnum,

Væ alium non  
habenti Deum  
nisi proprium  
suum com-  
modum.

quod in ruinam te rapit, commodum, quodque pavoris tibi abundans suppeditat argumentum. Væ illi, qui alium in hoc mundo non habet Deum, nisi privatum suum commodum! Eheu! quantos reperire est, qui famulentur ipsi in contemptum DEI!

Ferme omnes  
hoc tempore  
suis inservi-  
unt commo-  
dis.

Quod deplorandum est, nonne videmus inter Christianos indies idipsum? Nonne, si Christus JESUS collocetur in bilancem cum lucello vel minimo, ipse infallibiliter minoris erit? Et quantos reperire est, qui ipsi serviunt secundum speciem? Sed falsam revera speciem; cum illi suis ipsam faciant servire commodis: magnum pietatis ostendunt zelum, modo se ostendat quidquam lucri, quod peculiari suæ suffragetur utilitati, sive sit honoris & gloriæ, sive voluptatis ac lætitiæ, sive facultatum honorumve temporalium, sive aliud quidquam cujuscunque emolumentum: Si ex his omnibus aderit nihil, tantæ aderunt, seque oculis objicient difficultates in oppositum, tantus coacervabitur speciosarum considerationum & rationum ex adverso cumulus, ut tandem concludatur nihil, Deique causa ita maneat deserta, ut nemo sit, qui illam velit agere, ipsius partes tueri. Et de hoc ipsemet

conqueritur in Scriptura: *Quis Malach. i. est in vobis, qui claudat ostia & incendat altare meum quatuor?* quali diceret: Neminem invenio, qui mihi præstet obsequium, nisi suum inde trahat emolumentum.

Verumtamen, interpellat ipsum Carphorus, novi ipsorum plurimos, quibus melior, quam credas est animus: serviunt ipsi DEO pure propter DEUM; nullo alio prorsus intuitu aut commodo, nisi ipsius solius honoris & gloriæ: Eo nomine student pleræque sua bona opera cognitioni suffragari hominum; nullum aucupantur ex pietate lucrum; nec suum in eo, quod faciunt, sectantur placitum, sed placitum solummodo DEI.

Novi, reponit alter, haud deesse, qui famulari velint ipsi, absque eo, quod suis famulentur commodis, modo saltem nihil inde trahant incommodi, nihil subeant præjudicii. Sed quando res agitur de sacrificandis suis pro ipso commodis, cum proprio suo incommodo; quando subeundum est periculum honoris, toleranda probra, exponenda jacturæ bona, sufferenda paupertas, exponenda faminitas, vel propria vita, tandemque statuendum animo amittere omnia ad conservandum com-

Etiā boni  
suo incom-  
modo, volunt  
servire DEO.



commoda & emolumenta Christi JESU: O quàm pauci sunt horum! O quàm pauci sunt horum! quantos econtra reperire est imitatores Pilati, etiam inter ipsos, qui boni, qui devoti volunt haberi?

Hic Judex, quem sanctus Augustinus laudat velut virum probitatis moralis sat magnæ, primâ apparuit fronte bono fuisse animo ad defendendam innocentiam Christi JESU. Judæi, quorum videbat invidiam, & immoderatas animi passionés, plures imputabant ipsi falsitates; has ipse pendebat nihili, probè gnarus, ipsas non esse nisi foetus & partus maligni animi: pluribus urgebant ipsum instantiis, & hisce eòsque congeminatis, ut speciem quasi referrent rebellionis, quibus evincerent, ut condemnaret illum. At invictus ipse ad omnia stetit, ipsisque semper sua retorquens argumenta, cunctas ipsorum elisit importunitates, elisit violentias: Incassum tentatis me, instigatis frustra ad committendum injustitiam, nihil invenio causæ in eo, ut feriam ipsum mortis sententiâ. Sed unus illorum prudentior cæteris, probè gnarus, nihil proprio resistere posse commodo, dicit ipsis: Vos nescitis quidquam, sinite me facere: Accellit ipsum seorsim, & simulans

se amicum, insuferrat ipsi solùm tria verba, quæ & reliqui postmodum altè repetebant: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris.* Attende, quid facias, exponis te periculo Cæsaris incurrendi offensam, de hoc amicè admonitum te velim, perpendè hoc benè, si habes mihi fidem.

Bonus hic judex, quem nihil hucusque poterat flectere, quique ludibrio exploserat accensum rabie totius turbulenti populi furorem, suis auribus allabi credens fulminis ietum, ecce totus exterre factus, secum ipse pensitavit: Itane offensam Cæsaris? Sed an meo sic officiam officio, è quo omnem meum honorem, omnem meam traho sustentationem? Sed quid meo erit filio, qui optimo apud Imperatorem in aula loco, amplissima exspectat fortunæ munera? Sed quid meis amicis, quid propinquâ necessitudine conjunctis, quos modò meâ tueor auctoritate? Sed & quid meis inimicis, qui modò me timent, quosque meâ potentiâ mihi teneo subjectos? Quanta negotiorum meorum jactura, si Imperatoris exspolier gratiâ? Verum est, hunc hominem esse innocentem; administranda mihi foret justitia; sed ita plus æquò majorem causa provchetur in moram. Adducatur denuò antè me hic homo:

Pilatus aliàs  
fatis bonus  
Judex, proprio suo per-  
versus commo-  
modo.

homo: JESUS CHRISTUS adducitur ipsi. Tu vides, inquit illi, fecisse me pro te, quod facere potueram; probè tuam agnosco innocentiam, tuorumque adversariorum invidiam; sed meà nimis quàm interest, omnibùs evertar bonis, nisi subvertam æquitatem, & iniquis ipsorum annuam votis? Amici mei, dicit populo, jus vobis suffragari video, trado vobis ipsum, juxtà vestram agite cum ipso arbitrium: *Tradidit eum voluntati eorum.*

Luc. 23. v. 25. *Tradidit eum voluntati eorum.*

Invektiva in proprium commodum, quòd conculcat Deum pedibus.

O maledictum sui ipsius commodum! tu igitur omnia tuo subjicis imperio? tu igitur impellis homines, ut ipsam Majestatem DEI suas compellant subire plantas, calcar addis, ut calcant & conculcent ipsam? tu igitur vità exspoliasti ipsum Filium DEI, & ipsius effudisti sanguinem? Hoc execrandum nobis videtur: Sed nonnè indies pejora quasi patramus? Non est opus minitari nobis fulmina; mox ubi de minimo agitur commodo, agitur in fugam & exulare cogitur Christus JESU, traditur oblivioni cœlum, salus propria, ipsa anima, ipsa con-

scientia, nec felix nec infelix attenditur, aut cordi habetur æternitas: hisce omnibus obfirmantur oculi, ut nihil aspicere liceat nisi hoc commodum, & quandoque minoris æstimatur Deus rudi coquina periculo. Ignosce Domine, quòd tam exigua cum reverentia loquar de Majestate tua infinita. Sed cheu! nimis quàm verum est, te sæpius minoris fieri, ô magne Deus vive, si vel minimum occurrat commodum te vilissimo coquina periculo postponeris; de quo conquereris ipsemet per os aliqujus Vatis tui: *Et violabant me* Ezech. 13. *propter pugillum hordei & fragmen panis.* O quàm verum est, proprium commodum ingens esse ostium, per quod indies milliones animarum descendant in infernum, eòquòd emanet ex ipso contemptus DEI ubivis terrarum. Et vide solummodò, quàm ahominando crudelitatis scelere obstrinxerit Herodem, quamvis invito se sua evertit commoda, & mirum in modum stabilièrit illa Christi JESU, quæ excindere & subvertere volebat.

ARGU-

## ARGUMENTUM.

*Innocentes occisi ab Herode, insigni comitatu aulico stipabant  
Christum Jesum nascentem, composito e parvis re-  
gulis coronatis gloria,*

## ARTICULUS VII.

Perfida simu-  
lacio Herodis,

Matth. 2.  
v. 2

**H**erodes, infelix hic politicus, qui non alium Deum, nisi proprium adorabat commodum, audiens Reges Magos interrogantes: *Ubi est, qui natus est Rex Judaeorum?* Percussus est haud aliter hoc verbo, quam reus capitis audita mortis suae sententiae. Dissimulavit nihilominus arrodentem se intus rabiem, benigno & omnis humanitatis pleno ipsos excipiens vultu, verba dans melle dulciora & favo. Ite, inquit ipsis, & interrogate diligenter de puero, & cum inveneritis, renuntiate mihi, ut & ego veniens adorem eum. Ite bonis avibus terque quaterque auspiciati viatores, è tam remotis advecti plagis ad adorandum novum hunc regem, èximia hac decorandi prae-rogativa, quod caeteris omnibus eripueritis palmam, primis illum venerando obsequiis. Ite & omni cum solertia indagate, ubi natus sit hic infans, & de hoc fausta mihi referte nuntia, ut & ego vestra premens vestigia, accelerem gradum, mea eidem praestiturus homagia.

Ah! perfide, quam parum

consonat tua cum corde lingua! verborum lingua propinat mel, & non nisi felle tuum redundat cor; faciem exhibes serenam ac hilarem, dum rabies & furor tua depascitur viscera, atque perversam tuam lancinat ac discerpit conscientiam; Spondes itorum te, huic praestitum infanti honores ac homagia, & non meditaris nisi vindictam, crudelitatem, supplicia.

Aspicit deceptum se à Magis, qui post inventum & adoratum in cunis suis Infantem Jesum, admoniti fuere ex mandato Dei, ut in regionem suam reverterentur per aliam viam, absque eo, quam redirent Jerusalem. Hoc irritatus dolus suam accendit rabiem, dissimulat nihilominus, editque signa, ac si nihil percepisset, integro expectans anno, vel etiam quindecim aut sedecim mensibus, juxta supputationem Eusebii & testimonium Sancti Epiphani, quin conceptam in corde barbariem partu excluderet manifeste.

Interim Sanctissimae Virgini & sancto Josepho otium & fa-

Pp

Quando In-  
fans Jesus de-  
portatus fue-  
rit in tem-  
plum,

cultas fuit Jerosolymam defendendi Infantem JESUM, ipsumque præsentandi in templo, quadragesimo post Nativitatem die, ad obtemperandum legi purificationis; Et exindè recesserunt in Nazareth, proprium suum habitaculum, unde sanctus Joseph in somno admonitus ab Angelo clam fugiens, deportavit Infantem in Ægyptum, ad subtrahendum ipsum persecutioni Herodis.

Inquietudo  
Herodis.

Dum hæc agebantur, crudelis agitabat tyrannus millenas in mente suâ cogitationes turbulentas, excogitabat media, efformabat consilia, ad munendum se adversus inimicum, jammiam expeditum ad exuendum se scepro & coronâ. Et quia ex indole suâ erat suspiciosus, injuriosus, infidus, timidus & crudelis, vix sibi ipsi proprias suas committere & concedere audebat cogitationes, metuens, ne invito se dilaberentur è mente. & prolata in lucem, cunctis se redderent execrandum hominibus; fabricabatur consilia tam abominanda, ut, cum ipsemet eorum tangeretur erubescentiâ, damnare cogeretur ipsa; moliebatur mox alia, quæ cum abhorrerat adhuc, mox iterum repudiabat; iniebat nova, sed & hæc concutiebant eum pavore, tam erant horrenda, quæ & illi cò detestabatur. Rimatus &

perscrutatus est omnes abyssos atrocissimarum Eumenidum, ad consulendum illas de remedio, quo sibi prospiceret velut munimento ad sui defensionem tutissimo; sed dulcius ac infallibilius non invenit, nisi trucidationem ac laniationem omnium infantium in Betlehem & finibus ejus, ejusdem circiter cum infante, quem metuebat, ætatis, sibi persuadens universali hæc strage infallibiliter involvendum fore illum, cujus anhelabat effundere cruorem.

Quid moliris infelix Princeps? furor hic cunctis inauditus sæculis elapsis, quem foves in corde, ad fovendum commentitium aliquod commodum, mactando tot miseros parvulos infantes, quorum tam est amabilis innocentia, procul dubio te toti universo cum horrere exhibebit velut execrandum crudelitatis monstrum. Molestum sanè hoc est, sed mea, nisi id faciam, vacillat corona, nec mihi satis est firma. Itane sperare potes melius firmare illam, tantis, quæ meditaris criminibus? Innoxius hic sanguis, cujus adversum te vindictam exposcens clamor cœlorum penetrabit portas, nonne auscultabitur à Deo? Imò, timendum hoc est, sed meum periculo interitus subditur imperium; prospiciendum est huic. Ferox bestia, nullus igitur

Anxius & serore plenus  
discursus Herodis.

tur residuus tibi est rationis usus? aspice canos tuos, & genua tua jamjam tremantia præ senectute; comparandum tibi mox erit ante tribunal Dei; an concedes illuc totus coopertus fumante adhuc innocentium copiosè effuso sanguine? Quid timeas ab infante qui modò nascitur, tu, quem prius corrodent vermes, quàm discat ille ambulare, & gressus formare solus? Hæc omnia verascunt. Sed sceptrum meum & corona mea sollicitum me habent, tentanda sunt omnia, ut imperem, & solium teneam. Ah! politica detestanda! nonne orbata sis oculis, oportet, dum inquis, & Deum, & animam tuam, & æternitatem, & omnia quæcunque ponderis maximi subire possint mentem tuam, nihil esse respectu tui commodi?

Negotium  
magni ponderis  
obruit  
Herodem,

Nihilominus Deus, qui impedit quandoque consilia impiorum ex misericordiâ, sicut sæpius exoptatum eorum permittit successum ex motivo severissimæ justitiæ, intentavit ipsi tanti momenti, tantique periculi negotium, ut facile inducere potuisset ipsi oblivionem consilii de trucidandis infantibus. Fuit accusatus ab Arabibus coram Imperatore Augusto, qui tam malè in ipsa affectus, tantum concepit averſionis, ut trinâ omninò vice ipsius audire

recusaverit legatos: oportebat ipsum se Romam conferre, ad excusandum se in personâ; & reconciliandum se cum Imperatore, concessit illò, & quia magnæ admodum sagacitatis erat, effecit id tantâ cum prudentiâ, tamque auspiciato cum eventu, ut meliùs quàm unquam se firmaverit in Imperatoris favore, à quo confirmatus est in suo regno, veluti novo ab ipso accumulatus beneficio.

Et ipse ex parte suam, ut illi demonstraret, recipere se illud novo cum zelo ac desiderio exhibendi omnem ipsi submissionem, quâ fidelis subditus suo obstringitur principi, sumpsit ansam loquendi cum ipso de suis, quibus torquebatur, angustiis, quòd habeat nimirum, unde timeat invasionem iniqui cujusdam usurpatoris, eò quòd certam acceperit informationem, natum esse paucò abhinc tempore quendam infantem, qui assumat sibi jam nomen Regis Judæorum. Et desuper efflagitavit Imperatorem, ut sibi permitteret suum de novo concessum, sibi firmare sceptrum, concedendò facultatem tollendi illos, quos suspectos haberet è medio, non magis parcendò propriis pignoribus, quàm alienis, si inveniret, quod suas conspirationis quoque labe asperferint manus; cum ampliùs obligatus

Infelix Herodis dolus.

non sit fovere affectu patris filios, si hi filiorum erga patrem exuerint affectum.

*Vitium Imperatoris Augusti permittentis Herodem implere furorem suum.*

Creditur Augustum in hoc consentisse: mirum sanè, tunc Principem tam turpem vitæ suæ inuulisse maculam, qui aliàs erat indolis tam benignæ, tantâ insignis sapientiâ ac bonitate, ut ubivis terrarum nonnisi sermo fieret de Augusti clementiâ. Verùm si altius nostras attollamus cogitationes, nonnè videtur, quòd Herodes velut Tyrannorum, qui effusuri erant sanguinem Martyrum, primus & crudelissimus, non concesserit Romam, ubi caput residebat gentilitatis, nisi accepturus mandatum, ad ineipiendum cruentum hoc bellum adversus Jesum Christum, & religionem ipsius, quòd per plura productum & prorogatum est sæcula. Efferata hæc bestia, dum exemptum se vidit metu amittendi favorem Augusti, quo timidus & vecors aliquantulum reddebatur, velut triumphans in Judæam fit redux, totus novâ exasperatus crudelitate, & tam acri accensus siti effundendi sanguinem parvulorum, quorum jam excidium suâ concluderat mente, & vix appulsus.

*Mandatum crudele Herodis.*

Agedum, exclamaret, maximâ cum solertiâ eligatur legio militum versatissimorum in armis, & generosissimorum api-

mò, quî nullo flectantur commiserationis affectu; advolent quantocyùs in Betlehem, & in cuncta loca vicina, cunctas perlustrent domus, & in cunctos inquirent infantes, biennio minores, jugulentur ad unum omnes, nullique, cujuscunque sit conditionis, parceretur. Ite, generosi mei, illustre hîc vestræ fortitudinis exhibere specimen, nec statuete, ut dicatur, vecorditer devictos vos esse vel à ploratibus, matrum, vel à clamoribus infantum. Detestandum mandatum, detestanda magis obedientia, sed executio summe truculenta & crudelis.

Ah! si sciretis, matres infelices, quid propediem sit futurum, quæ expectent vos mala! si agnosceretis pauperculi infantes, quid tolerandum mox vobis! sed ipsum hoc est, quod timebatur nunquam. Blandiebatur suo mater filio, suaque ipsi porrigebat ubera, postquam millenis ipsum innocuis demulisset assentationeulis; Infans contra arridebat matri suæ, illamque amplexibus suis amore plenis oblectabat, quando avernales hæc furie armatas pugione manus intrant, spirantes oculis furoris flammæ & horrendos evomentes ululatus ore. Mater ignara adhuc, an se vel suum inquirerent pignus dulcissimum, requirebat clamoribus cælum, & in-

*Excidium immane infantum.*

& inundans torrente lachrymarum; prosternebat se in terram, exquirens misericordiam. Carnifex vult suum ipsi abstrahere è sinu filium, illa constringit ipsum arctissimè, contegit suis ipsum brachiis, uberibus, capite, tamque fortiter complectitur ipsum, ut potius seipsam in frustra concidi, quàm ipsum pateretur sibi abstrahi: miserandum in modum clamat & ejulat cum matre infans, seque tam arcte, quàm potest, adstringit ipsi: furore percitus satelles jurat utrumque se confossurum; unico pugionis ictu transferberat infantem, & cuspis se quoque insinuans in gremium matris, faciebat ipsi fidem, & hanc cecidisse fatis; cadebat ipsa ex unâ & infans ex parte alterâ; hic expirabat è vulnere suo lethali, suum in morem torrentis effundens sanguinem; altera expirabat prope præ dolore flumina deducens lachrymarum.

Spectaculum  
horrendum  
& execrabile.

Quòd hic in unâ faciebat domo satelles, id exequabantur alii eodem prorsus tempore, unusquisque in suâ, hic tali, alter alia ratione; ubique trucidati, ubique clamores horreni, ubique immaniſſimæ crudelitatis spectacula; & paucas intra horas universalis confecta est strages, cuncta mundant sanguine in Bethlehem & finibus ejus: occisorum numerus tam ingens fuit, ut

Abyſſini in Canone Miſſæ suæ & Græci in suo Calendario, numerarint illorum ad quatuordecim millia, quamvis reverâ difficile sit captu, quod in unico parvo oppido, quale est Bethlehem, & pagis vicinis inveniri potuerit tantus infantium bimatum non excedentium numerus, ut vix inveniri posset in maximis, quas orbis complectitur, civitatibus. Quidquid sit, semper verum est, juxta relationem Historiographorum & mentem Sanctorum Patrum, numerum infantium ab Herode occisorum fuisse maximum.

Vide, immanis, vide stragem, Crudelis He-  
quam fecisti; veni & satia ocu-  
ros, vide  
los spectaculo crudelitatis tuæ; quid feceris,  
fanguinariam tuam & magis  
quàm brutalem pasce animam  
aspectu tot miserorum infantium,  
quos exuisti vita, totque  
infeliciam matrum, quibus crui-  
sti cor. Aspice innoxium hunc  
fanguinem, qui quantus quantus  
est effusus, lugubrem diffundit  
vocem ad detestandum tuam  
immanitatem. Audi, quâ ratio-  
ne exprobrat tibi, nec ipsam na-  
turam afferre quidquam posse  
excusationis, quâ commissum  
expiet & diluat probrum, dum  
adeo abominandam, quale tu  
es, progenit monstrum. Itane?  
non movearis hoc spectaculo?  
tunc gaudeas fecisse tot miseros,  
nunquam feliciorum te credens,  
quàm

quàm aspiciendo miseras aliorum? Ecce plangunt omnes, & tu clangis júbilo: tu solus, tu solus, infernalis furia mentita hominem, tu solus probrum & dedecus totius naturæ humanæ, eras idoneus ad concipiendum, ad pariendum, ad exequendum tam abominandum consilium.

Omnia consilia Herodis appugnant ipsum.

Sed quàm malè auspicatum es nactus eventum, dum extinguere parabas cum vitâ honorem novo, quem persequeris, Regi Judæorum! siquidem pro eo, quod offuscaveris nascentem hanc lucem, clarius irradiare fecisti ipsam in universo orbe: non erit in mundo angulus, quamvis subarcticus situs polo, quem abominandæ tuæ stragis non pervasurus sit rumor. Innumeri ubivis gentium enarrabunt factum tam inusitatum, tamque cunctis inauditum sæculis, & sciscitantibus tantæ immanitatis causam, dicetur, hanc esse, quod intellexeris, promissum à tot sæculis Messiam Judæis, natum esse in Betlehem, virtutemque divinam, quam sub imbelli suâ infantia gerebat absconditum, te convulsisse tremore. Hac ratione procul abest, tam procul abest, tumulâsse te ipsum oblivione perpetuâ, sicut anhelas, ut potius invito te ipsius annuntiaveris adventum in universo mundo.

Adverte, quomodò perversa

tua consilia tibi consultori sint pessima: tu parabas ipsi tumulum, & ecce magnificum adornasti ipsi triumphum, quem ingens Victorum ad honorandum ipsum cominatur numerus: tu desolari volebas locum, quem ipse suâ honorabat præsentia; & ecce amplissimo stipasti ipsius latus apparatu, splendidissimâ circumvallasti ipsum cohorte, compositâ nempe ex tot parvis coronatis gloriâ regibus, quot immanitate tuâ effecisti Martyres: quot plagis operuisti ipsorum corpora, tot aperuisti ipsis ora ad enarrandum illius gloriâ, voce sanguinis ab ipsis profusi innoxia. Si oculos teneres apertos, occurrerent tibi boni ipsorum Angeli, palmas collocantes in manibus ipsorum, ipsosque deducentes ad divinum hunc infantem, ad præstandum illi velut supremo suo Monarchæ homagium: Hic verè agnoscitur Rex Judæorum; siquidem hic flos est totius nationis Judaicæ, qui sacrificatur ipsi, ipsisque suum annuntiat & promulgat Messiam: hi sunt totidem Ephebi honoris, quos offert Judæa parvo huic principi, quosque tota salutat & salutandò honorat Ecclesia per cuncta sæcula velut cunctorum florem & floridas primitias Martyrum: *Salvete flores Martyrum.*

○ JE-



Infans Iesus triumphat de Herode impio in personâ Innocentium, quos cosonat.

O IESU! o adorande Infans! Nisi esses Deus infinitæ Majestatis, qui potuisses uti immani hoc rege te persequente ad evulgandam tam manifestè gloriam tuam? qui elargiri potuisses tot immarcescibiles coronas omnibus his parvis Martyribus, qui suam, citra id, quod scirent, fuderant vitam pro vitâ tuâ? O quàm clarè videtur, te tuis in manibus beatam tenere immortalitatem, cum abundanter reddas ipsis pro paucis diebus in felicitate vitæ tuæ causâ ipsis sublata, felicem sine fine aternitatem! An unquam per cuncta sæcula visus fuerit infans ab Adam usque ad novissimum, qui nascitur hodie, in quo observatum fuerit quidquam simile, quod vel à longè ad tuas accedat excellentias.

O adorandissime IESU! Tu es unicus, pro quo est nemo, qui possit perire; quanto quis magis contendit se sacrificare, seque annihilare pro te, tanto magis se confirmat in æternâ & immutabili felicitate. Unde venit ergo, o mi amabilissime Salvator, quod tot ac tanta, quæ hâc de veritate nobis extant, experimenta, non accendant vehemens in nobis desiderium patiendi & moriendi pro te? procul dubio, quia nondum satis inducere hoc possumus in animum. Imponam igitur finem huic consultationi magis profundâ, magisque seriâ consideratione infelicitatis inimicorum tuorum, & felicitatis famulantium tibi,

## ARGUMENTUM.

*Infelicitas Herodis, & felicitas Sanctorum Innocentium, pari ratione annuntiant Divinitatem & excellentias Christi Iesu.*

### ARTICULUS VIII.

Dux res oppositæ constituebant splendorem triumphum apud Romanos.

Nihil erat aspectu jucundius, quam triumphalis Victorum introitus in Urbem Romanam, quoad hæc erat mundi Domina, nunquam non demittens victoriarum palmas, ubi vis locorum, quibus sua intulerat arma. Dux res prorsus oppositæ,

æquali ferè ratione contribuebant ad illustrandam pulchri huius spectaculi magnificentiam. Spectabantur hic summa felicitatis culmina, & imò infelicitatis barathra, gloria & opprobria, servitus & libertas, gemitus & carmina lætitiæ: unico verbo, thea-

theatrum hinc erat, ubi suprema felicitas conjuncta videbatur cum maximâ calamitate ac miseriâ; Et medius inter duo hæc extrema victor dispartiebatur gloriam & divitias, coronas & palmas victoriosas, at victos onerabat catenis, servitute, opprobrio, contemptu, illos post se rapiens velut mancipia curru suo triumphali implexa, demonstrans per hoc, esse se arbitrum vitæ & mortis, felicitatis & infelicitatis hominum.

Nihilominus magnificentia hæc, quæ tanto irradiabat cum splendore, ut totum quasi Universum suâ repletet gloriâ, tantæ exilitatis, tenuitatis ac parvitas erat, ut eadem dies, quæ viderat eam nascentem, viderit quoque ipsam morientem. Non fuit unquam, nisi introitus Jesu Christi in mundum, ejus triumphus perpetuò cunctisque sæculis suum conservat splendorem, sed splendorem, qui repleat cælum & terram Majestate gloriæ suæ. Et quamvis videatur, magnum hunc Monarcham subtrahere voluisse mundo cognitionem adventus sui, & cum ob finem elegisse sibi tenebras, & silentium, & despecti loci paupertatem, velut arbitros & amicos fideles, magisque idoneos ad abscondendum toti universo adventus sui arcanum, nihilominus introitus ipsius visus est tan-

tâ refulgere Majestate & gloriâ, ut omnes Cæsarum triumphus ejusmodi nil habuerint, quod ipsius magnificentia possit æquiparari.

An unquam videre erat currum triumphalem cujuscunque Victoris duobus circumfusum fastigiis tum summæ felicitatis tum infelicitatis maximæ, adæquantis tum infelicitatem Herodis, <sup>Introitus Jesu Christi in mundum splendidior triumphis Romanorum,</sup> tum felicitatem Sanctorum Innocentium? unum dejectum & humiliatum usque ad centrum terræ, alios elevatos usque ad solium Angelorum cælestium, unum aggravatum catenis servitutis æternæ, alios portantes diademata æternitatis beatæ; unum actum præcipitem in abyssum infinitorum malorum; alios inductos in possessionem bonorum æternorum; & inter duo hæc extrema medius Infans Jesus, demonstrat nobis, se agere, quod agit ex auctoritate Dei Omnipotentis, se tenere duo extrema hæc in manibus, seque arbitrum esse felicitatis aut infelicitatis æternæ hominum. Tuos in utramque partem converte oculos & affirmare vix poteris, in quo divina ipsius Majestas majori affulgeat cum splendore. Vis intueri, quâ ratione accipiat & tractet impium?

Qui habebas, Horodes infelix, post immanem, hanc stragem, in quâ tantum effudisti sanguinis

Quo furore  
agitur sit  
Herodes post  
eodem infan-  
tium.

nis innoxii. Ecce omnes tui ma-  
tati hostes, cuncta tua iussa exe-  
cutioni mandata, gloriosam re-  
portasti victoriam; Nonne jam  
plenè tibi satisfactum? nonne  
acquiescis modò? Non, expe-  
rior meam concitatam rabie a-  
nimam, occurrunt menti spe-  
cra non intermissum immitti-  
tentia mihi terrorem: Non vi-  
deo, coronam meam melius ef-  
se firmatam; prævideo enim  
nescio quid sinistra, quod meas  
adauget angustias. Et quid  
istud? habeo filios mihi suspe-  
ctos, ut securus sim, securi sub-  
jaceant mortis: trucidentur illi-  
cò Alexander & Aristotulus ge-  
mini mei natu majores; quinto  
post die eadem fata subeat An-  
tipater ipsorum frater: fortassis  
enim moliantur animo, ut ex-  
turbent me solio, exuant me  
sceptro, securitas mihi nulla,  
quamdiu superstes ipsis vita,  
priventur hanc, ut vita mihi sit  
absque angustia. Ratiocinans  
benè, excellens arripis ad stabi-  
liendam tibi coronam, medium  
dum è medio tollis eos, quorum  
adminiculo plurimum fulcire  
poteras illam. Sed quid dicet  
Augustus, dum à te exercitam  
sibi exploratam habebit rabiem?  
dicit, quod sit melius esse porcum,  
quam Filium Herodis.

His impletis, expleta saltem  
erit fames tua? Nonne ex tunc  
magnà fruèris animi tranquilli-

tate, cum proprium tuum effu-  
deris sanguinem, illasque truci-  
caveris manus, quæ tuum post  
fata tua poterant torquere sce-  
ptum, ne forsan id tibi adhuc  
viventem extorquerent? magno  
igitur perfundetur mens tua so-  
lacio, cum amplius non sit, qui  
perturbet illam? Non experior  
majores prioribus angustias, quæ  
fævius, quàm antea, in me de-  
bacchantur. Vah! quid est hoc?  
extincti sunt filii, sed ingenuit,  
quæ genuit ipsos Mariamne,  
ipsorumque deploravit mortem.  
pro eo, quod gaudere & lætari  
debuerat, de ipsorum letho,  
mihique congratulari de eo, quo  
perfulsus sum, dum fudi ipsos,  
solatio. Quod illos me plus  
diligat, hoc affligit, hoc lancinat  
cor meum: est conjux mea, no-  
vi ipsam virtuti addictam, in-  
super credo, ipsam amare me;  
sed nescio quis insufurrat mihi,  
ne fidam ipsi, cum posset esse  
mihi nocumento. Ast Hircanus  
Pater ejus, qui magnus Sacer-  
dos est, Alexandra mater illius,  
an videntes, quod molior, non  
molientur adversus me vindi-  
ctam? Non fuero securus ni-  
mium, malim omnem remo-  
vere suspicionem, omni me exi-  
mere metu, omnes tres mors  
demetat, ut meum mihi sit fir-  
mum ac solidum solatium, in-  
solitis, quæ me premunt, an-  
gustiis. Ita dubio procul, sat

Etiam suam  
conjugem &  
consanguini-  
cos.

Q9

solio

solidum id erit, solus si fueris, neminem amplius habens tibi necessitudine conjunctum, qui vel tibi, vel ditioni tuæ molietur infidias.

Maxima &  
bestialis om-  
ninò rabies  
Herodis.

Sed post immanem hanc cædem, an immunis omninò eris omnis anxietatis, omnis curæ? Non, totum oppositum; hucusque non erant nisi terrores perturbantes me, sed modò experior furias, quæ torquent, quæ discerpunt viscera mea, Quæ hujus est causa? Novi plures esse ex optimatibus Jerosolymæ, non optimè sentientes de me, qui nec me ament, nec approbent ac ratas habeant omnes cautelas, quibus meæ prospexi securitati: pro eo quod fundant lachrymas, perfundet hos gaudio mors mea, non moriar consolatus, orbis gaudio egrediar orbe. Sed & hic prospiciam, dum præcipiam: concludantur omnes ergastulo, hicque maneat, quoad moneant subire fata me manes. Et exin jussu dabo, ut dum jusserit abire me mors, jugulantur ad unum omnes; universalis dolor, totam qui occupabit civitatem, omniumque, quas invitis se profundent in morte meâ, lachrymæ, præcipuam constituent & adornabunt funeris mei pompam. O quam egregium consilium, quo æquè execranda reddatur mors alicujus facinorosi, quam fuerit ipsius vita!

An tandem post hæc omnia; <sup>Herodes sibi ipsi carnifex.</sup> firmissimâ fruëris pace, cunctisque tuo commodo potiëris voluptatibus vitæ? Non, novis in singula momenta tangor & angor curis invadentibus me in morem exercitiis terrificis formidandi spectris, à quibus dum obruor, vix non emorior. Omnia percellunt me terrore, nulla mihi quies, nullus nec unico momento in pace sommus, afficiunt fastidio dapes, sævis affligor doloribus ipsa depascentibus viscera, ab omnibus derelinqui me cerno, meam putredine corrumpi carnem, me totum vivum arrodi & consumi à verribus, fœtore ex me profecto me suffocari: nec vivere possum, nec possum mori, & quod intolerabilius mihi est, conscientiam circumfero carnificem, quæ me dilaniat, quæ me discerpit, quæ duriora ipsâ morte infert supplicia. Omnes Historici, qui tragicum infelicis hujus principis referunt finem, omni eo, quod asserunt, terrore audientes convellunt.

Ah! Ecce te, justitia Divina, <sup>Herodes affectus supplicio à Justitia divina.</sup> agnosco te, percipio te: Omnipotens brachium Infantis JESU, ecce persecutorem tuum quem velut monstrum prostratum tenes sub manibus immisericordis tuæ justitiæ; vidisti illum lavare manus suas innoxio sanguine tot parvulorum, tot infantium, & su-

& sustinuit ipsum: aspexit ipsam ab ipso violari naturam, dum proprios mactavit filios dilectam occidit conjugem, trucidavit socerum summum Pontificem, cum Alexandrâ socru suâ, ut sacrilegium conjungeret parricidio: Et exin humani magis avidus sanguinis spe mortis pavit se, quam inferre intendebat cunctis optimatibus Jerosolymæ. Aspexit hæc omnia, & laxasti froenum furori ipsius, ut in cuncta hæc flagitia corrueret præceps. Tandem cum non inveniret amplius, adversus quem suam exerceret rabiem, convertit illam in semetipsum; & quia magis infamis non erat in mundo manus, quæ serviret pro carnifice, sibi ipsi manus intulit, seque propriâ mactavit manu. Tu, o formidanda justitia, tu ipsamet es, quæ fecisti hæc omnia: Ecce victorias, quas reportas de inimicis tuis in infirmitate tuâ infantia. O Rex Regum! O omnipotens ultor criminum, quæ committunt homines! Ecce manifestas Divinitatis tuæ notas, sub parvo Infantis corpore absconditas! cuncta applaudent sidera gloriæ triumphi tui, & omnes latentur justis de æquissima ultione tuâ. *Latabitur justus, cum viderit vindictam; manus suas lavabit in sanguine peccatoris.* Sed abunde satis tuos pavisti oculos tragico devictorum spe-

Etaculo; in alteram convertens illos partem, aspice gloriam victoriam legionum præcedentium illum, quarum vestimenta perfectâ candent innocentia, & illustrantur mirificè effusi sanguinis purpurâ. Nonne cernis, quomodo triumphant omnes, gestantes in manibus palmas, & in verticibus coronas? quò concedat Beatorum hæc cohors, procedentium eodem die, & eadem quasi hora ex Betlehem, & finibus ejus? concedunt ipsorum animæ in limbum, allaturæ patriarchis & cunctis veteris Testamenti patribus fausta nuntia de Nativitate Messiaë tantis à se expectati sæculis; & boni ipsorum Angeli avolant in cælum præsentaturi Deo sui incensum sacrificii, velut spoliolum primitias, quas Salvator mundi venerat reportaturus in terris. Vadunt illuc festivissima acturi tripudia pro tantorum parvorum Angelorum, suis olim inferendorum choris in omnem æternitatem gloriâ.

Quam felices vos estis Salvatores parvuli magni Salvatoris mundi! Nonne dici potest, salvâsse vos prius ipsum, quam salvaverit ipse cæteros homines, cum mortui vos sitis pro ipso, antequam moreretur ipse pro vobis? sed ut verum dicam, non mortui vos estis, sed is mortuus est in vobis; siquidem sanguis

Pulchrum  
spectaculum  
parvorum in-  
nocentium  
pro Jesu  
Christo occi-  
sorum.

Ipsi sunt par-  
vuli Salvato-  
res Magni  
Salvatoris,

ipsius erat, & non vester, qui quærebatur in venis vestris; vita ipsius erat, & non vestra, quæ quærebatur in vestro sanguine. Ipse erat, unico verbo, & non vos, quem jugulare mens erat: ita si mortui estis, id fuit, quasi fuissetis propria ipsius persona, & quasi tot parvuli Salvatores. Si aliorum extollitur gloria Martyrum ex eo, quod suam dederint vitam pro gloria Redemptoris sui, non tamen hæc fruuntur prærogativâ, quâ gaudetis vos, dum jugulati estis, quasi propria ipsius persona; vos solas manet gloria, ut universa vos salutet Ecclesia quasi primos flores Martyrum. *Salvete flores Martyrum.*

Innocentes componunt mare è suo sanguine ad transmittendum Jesum Christum in Ægyptum.

O Innocentes flores, quæ aspergit vos macula? quo notamini scelere, ut hæc manerent vos mala? Omne vestrum erat scelus, quod similes essetis Infantibus Jesu, qui discerni non poterat à vobis; crimen vestrum erat, quod ejusdem fueritis cum ipso ætatis, patriæ, & fortassis etiam agnationis: perfecta hæc similitudo, quâ exhibebatis ipsum, speciosum fuit crimen, quæ morte tam gloriosa vos reddidit digno. Oportebat vos omnem vestrum dare sanguinem, ad componendum ex eo mare rubrum, per cujus medium videretur novus transitus in Ægyptum, magis stupendus &

prodigiosus primo: non ad deducendum amplius per ipsum, Israël's populum sub directione Moylis ex Ægypto in Palæstinam; sed ad deducendum ex adverso Israël's Deum sub directione Mariæ & Joseph ex Palæstinâ in Ægyptum. Dum interim pugnavit vos pro ipso in Judæâ, transit ipse velut gloriosus victor in aliud illud regnum, ubi insignes reportat triumphos; concussit tremore omnes falsos Deos in regione istâ dominantes, cuncta ipsorum subvertit idola imperii sui, figit sedem in civitate Heliopoli, quod idem est ac urbs solis: *In sole posuit tabernaculum suum* auspiciatissimo prorsus omine, intra paucos annos illuminandam fore Ægyptum doctrinæ suæ, & succendendam igne cœlesti, quem afferet in orbem; ipsamque evasuram in regionem sanctorum. Interim Herodes novus hic Pharaon, qui commisit se mari rubro effusi vestri sanguinis, persequendo Jesum Christum ad mortem hic submersus interiit.

O millies beatas crudelitatis hujus monstro victimas infantes felicissimi, qui fermè nascendo primos collegistis fructus, redemptionis totius naturæ humanæ, infelicitatem incomparabilem, quæ quærenda non fuerat vobis, nec à vobis quæsitâ, sed quæ sponte obtigit vobis, & perfecta

Psal. 12.  
v. 6.

Ipsi collegunt primos fructus Redemptionis generis humani.

fecta in vos ex solâ voluntate Dei. Sed ne dicatur, promereri vos non potuisse palmas, cum illas non potueritis velle. Verum quidem est, vos aliam non habuisse voluntatem, quæ vos dirigeret, quàm illam Salvatoris vestri, pro quo vestras dedistis & profuditis vitas. Sed quis dicere audeat, non promeruisse vos, qui accenseamini Sanctorum Martyrum albo, ex eo, quòd aliam non habueritis voluntatem, quàm illam Dei! O si permissum mihi esset vestram exoptare felicitatem? mallem, si in meo foret arbitrio ac libertate, accenseri vobis, quibus nunquam alta fuit libertas, quàm illa Dei ipsius, qui hâc locupletavit vos prærogativa, ut suæ vos sacrificaret ac devoveret gloriæ, quin minimam de hoc admiseritis unquam cogitationem; mallem & incomparabiliter magis exoptarem conditionem vestram, quàm solus tenere imperium & sedere ad clavum totius mundi, quando etiam mihi afforet securitas potiundi in pace magno hoc im-

perio, per annos decies milles.

O Omnipotens mundi Redemptor, qui tam munifice dispertiris imperia & coronas æternas servis tuis! o Bone Jesu quanta felicitatis est pati pro te! Dare sanguinem suum pro te, o quàm dignè is effusus est! moro pro te, o quàm insegmenter impensa & expensa est vita! perdere se pro te, o quàm securus hic est salutis portus! sacrificari, destrui, annihilari pro te, & amore tui, quàm feliciter hoc est parvum entitatis suæ, quæ nihil est, atomum immergere in immensum essentia tua, quæ omnia est, Oceanum! o infinities amabilis Jesu, an nunquam nostras voles accipere vitas ad efficiendum ex illis homagium vitæ tuæ? Accipe saltem corda nostra ac omnes affectus nostros, & posside illos in æternum absolute tamque absque ulla exceptione, ut nemo præter te referat unquam ex illis partem vel minimam